GRAMATI GRETS



Ex libro pit. [illegible]

Ave Maria gratia plena dominus

Franciscus S. Evstoriensis

Ex libris Sinatorum Per me
Andream Dro hoiewsky

Anno Domini 1623

N

IACOBI GRETSERI, SOCIETATIS IESV,

INSTITVTIONVM LINGVÆ GRÆCÆ,

Liber Secundus.

DE RECTA PARTIVM ORATIONIS constructione.

PRO SCHOLA HVMANITATIS.

Editio vltima.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus ANTONII HIERATI.
ANNO M. DCXIX.

EPIGRAMMA

AD STVDIOSOS GRÆCÆ LINGVÆ.

QVI linguam Latiam super æthera laudibus effert,
Hic nullo Argolicam spernere iure potest.
Altera enim alterius proprium defendit honorem
Gloria, & alterius nititur altera ope.
Aut igitur linguam, quidquid crepet ore, Latinam
Non amat, aut pariter Graiam amat & Latiam.

AD LECTOREM.



Ecundus hic liber, amice Lector, sicut & primus, dedita opera, paulo copiosior est & verbis & rebus; illud quidem, vt vitetur obscuritas, quæ non raro libros irrepit, magno iuuentutis detrimento, cum sermonis parcus auctor sententiam suam potius innuit, quam exprimit; hoc vero, vt nihil vel certe perparum eorum desideretur, quæ iure exigas à Syntaxi, cuius est communes quasdam & generales præceptiones partium orationis recte inter se connectendarum præscribere, non interiores linguæ delicias & diuitias persequi, quas, frustra est, quisquis existimat vnius libelli angustis finibus circumscribi posse.

Adiunximus autem passim annotatiunculas in gratiã prouectiorum, tanquam complementum & auctarium regularum: ex quibus eruditus magister auditoribus suis ea proponet & explanabit, quæ maxime videbuntur vtilia. Aliquando ostendimus etiam conuenientiam & symphoniam Græcæ constructionis cum Latina quamuis rarius. Sæpe indicauimus Hellenismos, quos Latini Græcos æmulati monumentis suis intexuerunt. Exempla ex probatis auctoribus plerumq; deprompsimus, interdum breuitatis & claritatis causa attulimus propria, quod ante nos non in pauculis, sed fere in omnibus præceptis fecerunt, quidam magni nominis Grammatici Omnia deniq;, quantum ratio & institutum ferebant, ad normam & methodum Emmanuelis nostri conformauimus, vt hæc noua Syntaxis minus noua & insolens in manus studiosæ iuuentutis veniret, quæ Græcæ loquendi & scribendi regulas tanto libentius, & citius discet, quanto minus verbis, ordine, & dispositione à Latinis iam cognitis discrepabunt. Vale, beneuole Lector, & hæc leuiora iuxta & grauiora studia ad Dei gloriam salutemq; tuam confer.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

CAPVT

CAPVT I.
DE CONSTRVCTIONE INTRANSITIVA VERBORVM.

I.

VErbum perſonale finiti modi antecedit nominatiuus aperte vel occulte, eiuſdem numeri & perſonæ. Aperte; ὁ Πλάτων διδάσκει. *Plato docet.* Occulte; τρέχει, *currit*, παίζει, *ludit*, ſubauditur ἄνθρωπος, *homo*, ἵππος, *equus*, ἔλαφος, *ceruus*, vel aliud ſimile.

ANNOTATIO.

Subticetur nominatiuus potiſſimum in his, λέγουσι, *dicunt*: φασὶ, *aiunt*, μυθολογοῦσι, *fabulantur*: εἰώθασι, *ſolent*: φιλοῦσι, *aſſolent*; & in nonnullis imperſonalibus, ἐβρόντησε, *tonuit*, ἤστραψε, *fulgurauit*. ſubintelligitur enim θεὸς ἢ φύσις, Deus vel natura. neq; enim naturæ imperſonalium omnino repugnat, habere ante ſe tacite vel expreſſe rectum; vt docet in ſua Syntaxi Emmanuel; quamuis in regula ſolius verbi perſonalis mentio fiat.

EXCEPTIONES.

I. Verbum perſonale finiti modi ſæpe non exprimitur. Menand. πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακὸν, *auaritia maximum eſt mortalibus malum.*

Eurip. πᾶν σύντροφον γλυκὺ, *dulce eſt omne id cui innutriti ſumus.* ſubauditur in vtroq; exemplo ἐστὶ vel ὑπάρχει.

II. Verbum infinitum aut oratio infinita cum

articulo generis neutri, agit interdum partes nominatiui. Menand. πολλῶν γὰρ μεστόν ἐστι τὸ ζῆν φροντίδων, *molestiis referta vita est plurimis.* τὸ ζῆν pro ἡ ζωή, *vita.*

Philo. τὸ μὲν μηδὲν συνόλως ἁμαρτάνειν, ἴδιον θεοῦ, *nihil omnino peccare, proprium est Dei.*

Articulus omittitur aliquando, vt in illo Eccles. 1. ἀρχὴ σοφίας, φοβεῖσθαι τὸν κύριον, *initium sapientiæ est timere Dominum.*

ANNOTATIO.

Græci vtuntur verbo infiniti modi pro omni casu, articulo neutri generis præcedente. τὸ ζῆν, *vita*, τοῦ ζῆν, ἀφειδὴς τοῦ ζῆν, *prodigus vitæ*. τῷ ζῆν. τὸ ζῆν. Hinc illa apud Latinos.

Sed pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Et,

Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Et,

Scire tuum nihil est.

Horat.

Virtus est vitium fugere. ἀρετή ἐστι τὸ φεύγειν τὴν ἁμαρτίαν.

III. Loco nominatiui præponitur nonnunquam verbo genitiuus, εἴθε μοι τούτου τοῦ ἀγαθοῦ γένοιτο νῦν, pro τοῦτο τὸ ἀγαθὸν, *vtinam mihi bonum hoc obtingat.*

IV. Nonnunquam vocatiuus; vt apud Homerum passim, ἱππότα Νέστωρ, pro ἱππότης, *militaris Nestor.* Νεφεληγερέτα Ζεύς, pro νεφεληγερέτης, *Iupiter nubes congregans.* Aliquando vicissim ponitur nominatiuus pro vocatiuo, Luc. 8. ἡ παῖς ἐγείρου, *puella surge.*

Hom.Iliad.3. ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷς, καὶ πάντ᾽ ἐπακούεις, *Sol qui omnia vides & audis.*

Interdum ponitur Rectus loco aduerbii, siue postponatur siue anteponatur verbo. S. Greg. Nazianz. εἰσελεύσεται δρομαῖος, ταχύς, *curriculo ingredietur.*

ANNOTATIO.

Similes mutationes casuum ante verbum personale inueniuntur apud Latinos. Hinc tritum illud Ciceronis, *Cum illius temporis mihi in mentem venit*, pro, *illud tempus.* & in Verrem, *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem*, pro, *paterna Lex Acilia.*

Sunt tamen, qui in supra allato de genitiuo exemplo subintelligi velint verbum ἀπολαύω, hoc sensu, εἴθε γένοιτό μοι τοῦ ἀπολαύειν, τούτου τοῦ ἀγαθοῦ, *utinam mihi copia fiat fruendi illo bono.*

Accusatiuus pro Recto in illo Pomponii ponitur. *Quot lætitias insperatas mihi irrepsere in sinum*, pro *lætitiæ insperatæ.*

Vocatiuus pro eodem in illo Persii, *Censoremue tuum, vel quod trabeate salutas*, pro, *trabeatus*, & apud Ausonium, *commemorande prætextate, incorrupte*, pro, *commemorandus, prætextatus, incorruptus.*

Rectus sæpe apud Latinos in locum Vocatiui subit. Virg. *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum*, pro, *fluuie.*

Solent itidem Latini his modis loquendi vti; Matutinus vel vespertinus hoc faciam, id est, mane vel vesperi; pro his enim aduerbiis vsurpantur prædicti nominatiui in hac oratione.

Quamuis autem hæ & similes mutationes casuum ad Enallagen spectent, hic tamen suppresso Enallages nomine earum explicatio instituenda fuit, vt vno in loco, quæ cuiusq; regulæ vis sit & proprietas, perfecte intelligatur. Quia vero non modo circa verbum eiusq; casum, sed etiam circa verbi & casus numerum va-

rietas accidere solet, ideo sequentes addendæ sunt exceptiones.

VI. Neutra pluralis numeri iungunt Attici cum verbis singularibus, παιδία παίζει, τρέχει, *pueri ludunt, currunt.*

Diodorus, τῷ ἀργυρίῳ ὑποτάσσεται πάντα, *pecuniæ obediunt omnia.*

Isocrat. ταῦτα γὰρ στοιχεῖα πρῶτα καὶ μέγιστα τῆς πολιτείας ἐστὶ, *hæc enim sunt elementa prima & maxima Reipublicæ.*

ANNOTATIO.

Hæc constructio Attica fere etiam in communem linguam recepta est, quamuis non raro apud auctores nomina neutra pluralia, cum verbo plurali iuncta reperias. Isocrat. ὀλίγα δὲ κατὰ πάντων εἰπεῖν, ἃ τοῖς ἀκούουσιν ὀργὴν ἀξίαν ἐμποιήσουσι τῶν πεπραγμένων, νεώτερος μὲν ἂν, ἴσως ἐξεδίζον. *pauca vero de omnibus dicere, quæ auditores ira inflammarent, potuissem forte si iunior essem.* Thucyd. ἐπιθυμίᾳ μὲν ἐλάχιστα, προνοίᾳ δὲ πλεῖστα κατορθοῦνται. *cupiditate paucissima, plurima vero prudentia bene geruntur.*

VII. Quod Attici in neutris, idem sibi permittunt nonnunquam alii in masculinis & fœmininis, maxime Poëtæ. Pind. μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται, pro τέλλονται, *hymni dulcisoni sunt laudis posterioris principia.* Hesiod. τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαὶ, pro ἦσαν, *huius erant tria capita.* Eurip. ἐνῆν δ' ὑφαντοὶ γράμμασιν τοιαίδ' ὑφαὶ, *inerant autem (ei vesti vel tapeti) intextæ picturis tales texturæ.* Arist. λέγω δὲ ἀρχὰς ἐν ἑκάστῳ γένει ταύτας, ἃς ὅτι ἐστὶ μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι,

dico

dico autem principia in vnoquoq; genere illa, quæ quod ſint demonſtrare non licet.

VIII. Videntur etiam huc ſpectare illæ loquendi formæ, ἐστιν οἵτινες τρέχουσιν. οὐκ ἐστιν οἵτινες τρέχουσιν, *ſunt qui currant. Non ſunt qui currant.* Plato in Minoe, πολλῶν γὰρ ὄντων ἀνθρώπων καὶ ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, οὐκ ἔστιν οἵτινες ἀπέχονται συμποσίων ἢ κρῆτες. *cum enim multi ſint homines & Græci & Barbari, non ſunt qui à ſympoſiis abſtineant præter Cretes.*

ANNOTATIO.

In his & ſimilibus locutionibus iungitur verbum ſingulare ἐστὶ cum plurali nomine. Neq; Latine reddi poſsũt niſi numero multitudinis. Non enim recte dixeris, Non eſt, qui abſtineant à ſympoſiis & epulis, ſed, Non ſunt qui abſtineant.

Cæterum Pindari Græcus interpres in Hym. 11. Olymp. ita ſcribit. σημείωσαι ἐνταῦθα τὸ τέλλεται, οὐδεὶς γὰρ οὔτε τῶν πρεσβυτέρων, οὔτε τῶν ἔπειτα ἐν τοῖς ἀρσενικοῖς ἢ θηλυκοῖς ὀνόμασι τῷ ἑνικῷ ἀντὶ πληθυντικοῦ ἐχρήσατο, ὥσπερ οὗτος. Nota hic verbum τέλλεται. Nullus enim neq; antiquorum neq; recentiorum vſus eſt, ſicut iſte, numero ſingulari pro plurali in nominibus maſculinis & fœminis. Hinc, vt nouitatem hanc effugiat, refert ipſe verbum τέλλεται à τέλλομαι, *orior*, ad ſequentem nominatiuum πιστὸν ὅρκιον, hoc ordine: οἱ μελιγάρυες ὕμνοι ἀρχαὶ καὶ προφάσεις τῶν ὑστέρων ὑπὲρ αὐτοῦ λόγων καὶ πιστὸν ὅρκιον τέλλεται ταῖς μεγάλαις αὐτοῦ ἀρεταῖς. Hinc etiam ad teſtimonia ex Heſiodo & Euripide allata, diceret ipſe, ἦν & ἐνῆν, non eſt ſingularis; ſed pluralis numeri per ſyncopen; qualis ſyncope eſt in illo verſu Heſiodi,

Τοῖς ἦν, χάλκεα μὲν τεύχεα χάλκεοι δέ τε οἶκοι.

Vbi interpres Heſiod. τὸ ἦν, ait, ἀντὶ τὸ ἦσαν, ὡς παρὰ σοφοκλεῖ. ἦν δὲ ἀμφὶ πλεκτοὶ κλίμακες, καὶ ἀπὸ τούτου γίνεται κατὰ συγκοπὴν τῆς, σα, συλλαβῆς. Sed tamen allatum ex

Aristotele exemplum clarum est, vt & illud eiusdem. οὐκ ἂν ἐξεφύετο τοῖς μὲν αἱ τρίχες, τοῖς δὲ τὰ πτερά. *Non enascerentur his quidem pili, illis vero pennæ.* Plane autem discrepant Græci à Latinis in hac nominum neutrorum cum singulari verbo syntaxi.

Nomina collectiua quæ à Græcis περιληπτικὰ dicuntur, & quæ voce quidem ἑνικὰ & singularia, sensu autem πληθυντικὰ sunt & præterea nonnulla participia, consulto hic præterimus, licet enim cum suo verbo in numero non conueniant, id tamen Græcis cum Latinis commune est. Virg. *Pars in frusta secant:* Hom. ὡς φάσαν ἡ πληθύς, *sic locuta est multitudo.* Pausan. τὸ ἔθνος τὸ αἰτωλικὸν ἀπέστειλαν, *Gens Ætolica miserunt.* Lucian. μηδὲν ἅτερος θατέρῳ λέγοντες ἀκόλουθον, ἀλλὰ μαχόμενα πάντα, ὅμως πείθεσθαί με ἠξίουν καὶ πρὸς τὸν αὑτοῦ λόγον ἕκαστος ὑπάγειν ἐπειρῶντο, cum nihil alter alteri consentaneum diceret, sed omnino pugnantia, nihilominus persuadere mihi volebant, & ad suam quisq; rationem me ducere conabantur. Vide Emmanuelem in scholiis regulæ communis de nominatiuo & verbo, adiectiuo & substantiuo.

IX. Nomina Dualia postulant verbum eiusdem numeri, ἄμφω τρέχετον, *ambo currunt*, δύο παίζετον, *duo ludunt.* Aristoph. τί φεύγετον; οὐ μενεῖτον; *quid fugitis, non manebitis?*

Sæpe tamen cum verbo plurali construuntur, ἄμφω τρέχουσι, *ambo currunt.*

Eurip. ἄμφω δ' ἅμ' ἐξέπνευσαν ἄθλιον βίον, *ambo simul efflauerunt miseram animam.*

Aristoph. ἀλλ' ἄνδρε δύο γυναῖκα φεύγομεν μίαν; *an duo viri fugimus vnam mulierem?*

ANNOTATIO.

Eadem omnino ratio est cum de duobus sine duali nomine loquimur; coniungi enim possunt cum verbo duali vel plurali: Σωκράτης καὶ Πλάτων ἔρχεσθον seu ἔρχονται. *Socrates & Plato veniunt.* Est autem necessario no-

men

men duale cum plurali coniungendum, cum dualis prima persona caret. Nam, *nos duo homines verberamus*, verbi gratia, aliter efferre non possum, nisi dicendo: νὼ ἀνθρώπω τύπτομεν ξένω γὰρ ἐσμέν. Aristoph. *Sumus enim hospites*. Pind. 2. Olymp. plurale iunxit cum verbo duali: μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον, pro μαθόντες γαρύουσι, *qui didicerunt garriunt & nugantur tanquam corui, stulte & insipienter multiloquentia auidi*. Neq; vero curanda est censura Græci interpretis, cum addit: τὸ γὰρ γαρύετον κακῶς. Cur vero male? An Pindaro lyricorum principi non liceat, nisi quod Grammaticis liber, præsertim cum ita locutus sit non absq; exemplo Homeri, Iliad. 4.

Ὡς ὅτε χείμαρροι ποταμοὶ κατ᾽ ὄρεσφι ῥέοντες
Εἰς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ.

Sicut quando torrentes fluuii de mōtib. fluētes in conuallē conferunt impetuosam aquā.

Vbi χείμαρροι plurale construitur cum duali συμβάλλετον. Et Iliad. 11. εἰ υἱέες ἐστόν, *si filii estis*. Vbi vides plurale nomen cum verbo duali iunctum.

VTRINQVE NOMINANDI CASVS.

I. Omne verbum personale finiti modi vtrinque nominatiuum habere potest, cum vtrumque nomen ad eandem rē pertinet, cuiusmodi maxime est verbum substantiuum, vocatiuū, & alia, sicut apud Latinos: τὸ γῆρας ἐστὶν αὐτὸ νόσημα; *senectus ipsa est morbus*. Δημοσθένης καλεῖται ῥήτωρ. *Demosthenes vocatur Rhetor*.

II. Verbum, quod inter duos nominatiuos ponitur, conuenit apud Latinos cū illo recto, qui verbi basis & fundamentū est, quomodocunq; mutetur oratio: apud Græcos fit aliquando contrarium. Paus. τῇ πόλει ἐστὶν ὅμορος κολωνίδες, ἐστὶ pro εἰσί. *Colonides est locus vicinus vrbi.*

vrbi. οὗτος ὁ χῶρος μούκιοι λειμῶνες καλοῦνται. Halicarnass. *locus hic vocantur agri Mucii.* Latine dicendum esset, *Colonides sunt; locus hic vocatur.*

ANNOTATIO.

Hoc orationis genus vsurpant interdum Latini vt docet Emmanuel. Cicer. in Pison. *Exposui breuiter consulatum meum: aude nunc furia de tuo dicere, cuius fuit initium ludi compitalitii*, pro, *cuius fuerunt.* Plinius. *Angustiæ vnde procedit Isthmos appellatur*, pro, *appellantur.* Terent. *Amantium iræ amoris integratio est.*

III. Posterior nominatiuus sæpe mutatur eleganter in genitiuum, Ἀριστοφάνης ἐστὶ τῶν κωμικῶν, *Aristophanes est comicus.* Δημοσθένης ἦν τῶν σοφῶν, *Demosthenes erat sapiens.* sic Horat. *Fies nobilium tu quoque fontium*, pro, *Fies tu quoque fons nobilis.*

ANNOTATIO.

Græcis similiter vt Latinis, mos est, primam & secundam personam non exprimere, nisi cum discretio aut emphasis significatur. *Discretio.* Isocrat. σὺ μὲν παιδείας ἐπιθυμεῖς, ἐγὼ δὲ παιδεύειν ἄλλους ἐπιχειρῶ, *tu quidem eruditionem desideras; ego vero alios erudire ingredior. Emphasis.* Demosth. τὸν πατέρα ὡς ἀπέκτεινον ἐγὼ τὸν ἐμαυτοῦ; *Egone patrem meum interfecerim?*

Voces item copulatæ plurale vel singulare verbum habent. Aristot. σπέρμα δὲ καὶ καρπὸς διαφέρουσι τῷ ὕστερον καὶ πρότερον. *semen & fructus differunt priori & posteriori.*

Aristoph. καὶ σὺ καὶ σὺ χαίρετε. *Et tu & tu saluete.*

Arist. τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη αὕτη δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, *quid differat virtus & hæc iustitia, planum est ex dictis.*

Isocr. Τελαμῶνος μὲν αἴας καὶ τεῦκρος ἐγεννήθη. Telamone Aiax & Teucer natus est.

Pari modo verbum plurale nobiliorem personam sequitur. ἐγὼ καὶ σὺ τὰ δίκαια πρὸς ἀλλήλους ποιήσομεν. Xeno. *Ego & tu iusta mutuo faciamus.* Lucian. ἐγὼ καὶ ὁ πορθμεὺς ἄλλους μετελευσόμεθα, *ego & portitor ad alios accedemus.*

CAP.

CAPVT II.
DE PROPRIA CONSTRVCTIONE INTRANSITIVA VERBOrum Substantiuorum.

I.

GRæci frequentissime circumloquuntur verba tam actiua quam passiua, in quocunq; tempore, per verbum substantiuum & participium; Σωκράτης τυγχάνει ἀναγινώσκων, id est, ἀναγινώσκει. *Socrates legit.*

Soph. οὐ σιωπήσας ἔσῃ; pro οὐ σιωπήσεις, *non tacebis?*

Lucian. σὺ δ' δὴ τί πράττων τυγχάνεις, pro τί πράττεις, *tu vero quid facis?*

ἦν ἐκβάλλων, id est, ἐξέβαλλε, *eiiciebat*, φλυαρῶν τυγχάνω, Isocr. *nugor.*

ANNOTATIO.

Verba substantiua sunt εἰμὶ, τυγχάνω, ὑπάρχω, *sum.* Item γίνομαι seu γίγνομαι, *fio* vel *sum*; apud Poetas vero, κυρῶ, πέλω, πέλομαι, τελέθω.

Est autem constructio hæc vsitatissima, apud Græcos & passim obuia, ἐτύγχανον περιπατῶν, *eram ambulans.* id est, *ambulabam* αὐηρημένος ὑπάρχει. Arist. id est, αὐήρηται, *sublatus est.* γενηθήτω τὰ ὦτά σου προσέχοντα. Psal. 129. *fiant aures tuæ intendentes*, id est, *intendant seu attendant.* προσεχέτω.

Soph. μένʼ ὡς κυρεῖς ἔχων; *mane vt habes?*

Latinis non est hæc Syntaxis valde familiaris. Plinius. *Coluber est in aquis viuens*, id est, *viuit in aquis.* Cicer. de orat. *Est vt scis, quasi in extrema pagina Phædri*, *his ipsis*

ipsis verbis loquens Socrates. Plautus. *Quos semper videas esse bibentes in œnopolio*, pro, *bibere*. Ouid. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*, pro, *pendent*. In sacris tamen literis sæpissime occurrunt huiusmodi verborum periphrases.

II. Similibus verborum circumlocutionibus seruiunt alia itidem verba, vt μέλλω, ἔχω: μέλλω γράφειν, id est, γράψω, *scribam*: ἔχω λαβὼν, id est, ἔλαβον, *accepi*.

ANNOTATIO.

Hinc illa formula acceptilationis in instit. Iuris lib. 3. tit. 30. ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών. *Accepisti tantum pecuniæ? Accepi.*

Addunt aliqui prædictis verbum φθάνω, sed non videtur addendum. Nam ἔφθην ποιήσας, ἐφθάκην πυθόμενος, non significat absolute; Feci vel audieram, sed anteuerti seu anticipaui faciendo vel audiendo, seu quod idem est, prius feci, prius audieram. Multo minus dicendum est, verbum hoc aliaue, quibus in periphrasi verborum vtimur παρέλκειν & superuacanea esse. Nam quæ superflua sunt, omitti queunt eodem manente sensu: Lucian. παίζεις ἔχων, *ludis*, Aristoph. ληρεῖς ἔχων, *nugaris, deliras*, *Plato*. ποῖα ὑποδήματα φλυαρεῖς ἔχων; *quos calceos deblateras?* Idem ἐπιόντος ἄρα θανάτου ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, τὸ μὲν θνητὸν, ὡς ἔοικεν, αὐτοῦ ἀποθνήσκει, τὸ δ' ἀθάνατον σῶν καὶ ἀδιάφθορον οἴχεται ἀπιὸν ὑπεκχωρῆσαν τῷ θανάτῳ, *ingruente in hominem morte, moritur quidem, vt videtur, id quod in illo mortale est, at immortale, saluum & incorruptũ abit cedẽs morti.* Ex his sentẽtiis, si participia ἔχων & ἀπιὸν demas, eandẽ retinebis sententiam; & propterea redundant. At si ex locutionibus prioris generis aliquid tollas, haud item constabit sensus. Neq; enim ἔχεις idem significat, quod ἔλαβες, quam significationem habet illud ἔχεις λαβών. Sed de vocabulis παρέλκουσι, & in oratione superfluis, legendus est Budæus in Commentar. linguæ Græcæ.

III. Eadem verba ſubſtantiua conſtruuntur cum participio verbi εἰμὶ, adiuncto alio inſuper nominatiuo. Lucian. ἀεὶ φαιδρὸς ὢν τυγχάνεις, *ſemper es hilaris*, barbare ad verbum, *ſemper es hilaris exiſtens.*

Demoſth. οὐ γὰρ ἐχθρὸς ὑπῆρχεν ὤν. *non enim erat inimicus.*

IV. Eodem modo conſtruitur aliquando verbum πέφυκα à φύω. Herod. οὐδεὶς οὕτως ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, *nullus homo iam beatus eſt.*

CAPVT III.

DE INTRANSITIVA ADIECTIVI ET SVBSTANTIVI CONſtructione.

NOmina adiectiua, articuli, pronomina, & participia cohærent cum ſuis ſubſtantiuis vel adiectiuis genere, numero & caſu, ἀγαθὸς ἀνὴρ, *vir bonus*: πεπαιδευμένος νεανίσκος, *eruditus iuuenis*, ἡμέτερος οἶκος, *domus noſtra.* παῖδε δύο ἀγαθὼ καὶ σπουδαίω, *duo boni pueri & diligentes.*

EXCEPTIONES.

I. Interdum non reſpondet actiuum ſubſtantiuo genere. Hinc apud Homerum κλυτὸς ἱπποδάμεια, pro κλυτὴ, *inclyta Hippodamia.* ἀὴρ βαθεῖα, pro βαθὺς, *profundus aer*, αἰθὴρ δῖα, pro δῖος, *Dius æther.* & apud Heſiodũ λευκοῖσιν

φα-

φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν, αἰδὼς καὶ νέμεσις, *candidis vestibus indutæ verecundia & Nemesis.*

ANNOTATIO.

Accidit hoc potissimum in deriuatis & compositis tertiæ simplicium. Illa enim Atticis sub vna terminatione communia sunt, vt κοινωνὸς, *particeps:* σκυθρωπὸς, *vultuosus, toruus.* χρήσιμος, *vtilis:* φρόνιμος, *prudens:* ἐλεύθερος, *liber;* κόσμιος, *modestus:* ἔνδοξος, *gloriosus:* παράδοξος, *admirabilis, inopinus:* ἔμπειρος *peritus:* ἄπειρος, *imperitus:* φιλόσοφος, ἀφιλόσοφος, *expers Philosophiæ:* πάμφιλος, *omnium amicus:* πολύφιλος, *multorum amicus:* ἄφιλος, *sine amicis,* & alia huius classis, quæ etiam communi lingua, cum masculinis & fœmininis sub eadem terminatione coniunguntur. At Poetæ & Attici longius progrediuntur, & illa etiam θυραῖος, *foris veniens:* βίαιος, *violentus:* σιγηλὸς, *taciturnus:* μεμπτὸς, *culpabilis:* φορητὸς, *tolerabilis:* φαῦλος, *nauci piger:* λαμπρὸς, *splendidus:* & plurima alia communis generis faciunt. Hinc apud Sophoclem. κρίσις λαμπρὸς, pro λαμπρὰ, *iudicium splendidum, magnificum.* Idem ψυχῆς ἀφειδήσαντε, *non parcentes vitæ, contempta vita:* ab ἀφειδέω, *non parco, cōtemno,* pro ἀφειδησάσα. Est enim sermo de duabus sororibus: τούτω τὼ ἡμέρα, apud Xenophontem, *isti duo dies:* τούτω τὼ τέχνα, apud Platonem, *istæ duæ artes,* pro ταύτα τὰ ἡμέρα, τέχνα, apud Sophoclem, Ἀρχὴ δωρητὸς οὐκ αἰτητὸς, *imperium donatum non petitum.*

II. Fit nonnunquam generis mutatio respiciendo non ad verba, sed ad significationem, κόρελον καλλίστη, *nympha pulcherrima:* εὐφυὴς παιδίον, *ingeniosus puerulus:* τέκνον φίλε, *chare fili,* apud Homerum. Et apud Synesium, μειράκια εὐτυχεῖς, pro, μειρακίσκοι, *iuuenes felices.* Et apud Anacreontem, βρέφος φέροντα τόξον, *infantem gestantem arcum.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Idem faciunt Latini. Ludi Megalesia, ludi floralia; Centauro inuehitur magna apud Virgilium & apud Terentium, Eunuchum suam. De quibus Budæus non procul à fine sui commentarii.

III. Adiectiuum neutrum venuste iungitur substantiuo masculino aut fœminino. Demosth. ἄπιστον ταῖς πολιτείαις, ἡ τυραννὶς, *infidum Rebuspub. est tyrannis.*

Idem πονηρὸν ὁ συκοφάντης, καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον, *improbum quid est sycophanta, & vndiq; inuidum atq; infestum.*

ANNOTATIO.

Latine. Infida res est Rebuspub. tyrannis *Et*, improba res est sycophanta & vndique inuida atque infesta.

Latini idem genus loquendi vsurpant. Virgilius. *Triste lupus stabulis. Dulce satis humor, maturis frugibus imber.* Silius, *Mite & cognatum est homini Deus.* Virgilius. *varium & mutabile semper fœmina.* Volunt nonnulli semper in Græcis subintelligi vocem χρῆμα. quam addidit Epictetus, ἀθάνατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια καὶ ἀΐδιον, *veritas res est immortalis & sempiterna.*

IV. Neutrum singulare construitur interdum cum substantiuo plurali χρήσιμον εἰς τοῦτο καὶ αἱ ψευδενέδραι. Xenoph. *Vtile quid ad hoc sunt etiam simulatæ insidiæ.*

Vel plurale cum singulari, idq; Attice, οὐδ' ὅσια τοῦτο πράττειν, pro οὐδ' ὅσιον, *non est æquum hoc facere.*

V. Neque conueniunt perpetuo adiectiuũ & substantiuum in numero. Aristot. ἐξ ἀμφοῖν ψευδῶν. *Ex vtrisq; falsis.* Isocrat. δύο τινὲ καιροὺς

τὸ λέγειν, *duo loquendi tempora conſtitue.* δύο νύκτες, δύο τ' ἤματα. Hom. *duæ noctes & duo dies.* Idem δύω κήρυκες, *duo præcones.*

Hom. πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου νίκης ἱεμένων. *vniuſcuiuſq; cor exultabat victoriam deſiderantis*, ad verbum, *deſiderantium.* Fit hoc maxime in nominibus collectiuis. Pauſ. τὸ πλῆθος ὥρμησεν ἀποκτενοῦντες τὸν μνηστῆρα, *multitudo ruebat, vt procum occideret.* καὶ παρεῖναι τὸ στρατιωτικὸν ἔδει τιμηθησομένους. Nazianz. *pro* στρατιώτας, *adeſſe oportebat milites vt honorarentur.* Vbi non tantum numerus, ſed & genus mutatur. Xenoph. εἰσιόντας δὲ αὐτοὺς ὄχλος περιεχεῖτο πολύς, φοβούμενοι μὴ ἄπρακτον ἥκοιεν, *ingredientes vero magna circumdabat multitudo, timentes ne fruſtra venirent.*

ANNOTATIO.

Eodem modo loquuntur Latini, vt allatis exemplis docent Budæus & Emmanuel.

VI. Sicut verbum inter duos rectos non ſemper apud Græcos conuenit cum illo, qui verbi baſis & fundamentum eſt: ita neq; adiectiuum ſemper conuenit cum ſubſtantiuo baſi & fundamento adiectiui. Ariſtot. Διὰ τί οἱ ῥυθμοὶ καὶ τὰ μέλη φωνὴ οὖσα ἤθεσιν ἔοικεν; cur numeri muſici & modicum voces ſint, moribus ſimiles ſeſe exhibent?

ANNOTATIO.

Fundamentum & baſis verbi, imo totius orationis illud cenſetur, cui aliquid tribuimus, vel à quo aliquid remouemus, Dialectici vocant ſubiectum. Vt in hac oratione verbi gratia, *Adoleſcentes probi ſunt ornamentum* Rei-

Reipublicæ Antonius à Cicerone Reipublicæ pestis appellatus est: basis & fundamentum est, *Adolescentes probi*, hos enim Reipublicæ ornamentum esse affirmo. Quare etiam verbum numero cum illo fundamento conuenit, quomodocunq; tandem mutetur oratio. In altera vero sententia basis est, *Antonius* Hinc adiectiuum seu participium, *Appellatus:* cum illo, non cum nomine, *pestis*, conuenit. At apud Græcos id non obseruatur semper. Nam in illo Pausaniæ dicto, supra capite primo allato, τῇ πόλει ἐστὶν ὅμηρος κολωνίδες, basis & subiectum est vox, κολωνίδες, quo fit vt εἰσὶν dicendum fuerit. Similiter in illo Thucyd. καὶ ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν, *& quia Mycenæ paruum quid erat.* dicendum fuit ἦσαν, quia vox Mycenæ basis est, cum de illa alterum illud appositum μικρὸν enuncietur; Pari modo in exemplo antea ex Aristotele adducto requirebat ratio communis Syntaxeos ὄντα vel ὄντες Quia verba illa, ῥυθμοὶ καὶ τὰ μέλη sunt subiectum: de quibus quæritur, quare moribus sint similia. At Aristoteles appositum illud ad proximam vocem φωνὴ retulit, quem loquendi modum imitati sunt Latini. Terent. *Paupertas mihi onus visum est & miserum & graue.* Cic. *O delirationem incredibilem. Non enim omnis error stultitia dicenda est.* Latine dicere oportebat, *Paupertas mihi onus visa est. Non enim omnis error stultitia dicendus est.* Quia basis seu subiectum orationis est, *Paupertas & error.*

VII. Quorundam adiectiuorum substantiua elegantius supprimuntur quam exprimuntur.

πρὸς ὀρθὴν	subauditur	γραμμὴν vel γωνίαν ad *lineam* vel *angulum rectum.*
τὴν ἐπὶ θάνατον ἰέναι		ὁδὸν, *ire viam quæ ducit ad mortem.*

ἀξίαν ἀποτίνειν } subaudi- { τιμωρίαν, *dignam*
ἑτέραν τρέπεσθαι } tur { *pœnam ſoluere.*
ὁδὸν, *alia via ire.*

ANNOTATIO.

Sic Latine dicimus, Bibere calidam, frigidam, ſubintellecta voce, *Aquam*, & Græce θερμῷ λοῦεσθαι, *lauari calida:* ψυχρὸν πίνειν, *id eſt*, ὕδωρ.

IIX. Subſtantiuum adiectiuo qualecunque, illud ſit, additum, ſæpe mutatur in genitiuum, Iſocrat. οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων, *homines nauci*, σπουδαῖοι τῶν ἀνθρώπων, *homines frugi.* Polyb. τὰ βάρεα τῶν ὅπλων, *grauis armatura.*

ANNOTATIO.

Idem Latini nonnunquam faciunt, Nigræ lanarum, pro nigræ lanæ: ouorum oblonga, pro oblonga oua, apud Plinium. Vide Emmanuelē in Regula de partitiuis.

IX. Adiectiuum mutatur aliquando in genitiuum nominis abſtracti οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, id eſt, ἄδικος, *iniuſtus œconomus:* στεφανίσκοι ὑακίνθων, Anacreon, id eſt, ὑακίνθινοι, *coronæ hyacinthinæ*, βωμὸς λίθου, id eſt, λίθινος, *ara lapidea.* ἐν ταρσοῖς καλάμου, id eſt, καλαμίνοις. Thucyd. *in fiſcellis arundineis.*

ANNOTATIO.

Priora illa potius Hebraiſmum quam Helleniſmum redolent; vt & iſta 2. Theſſ. ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *homo peccati, filius perditionis* In aliis deſideratur participium πεποιημένος, vel præpoſitio ἐκ, vel vtrumque. βωμὸς λίθου, hoc eſt, βωμὸς ἐκ λίθου, vel πεποιημένος ἐκ λίθου.

Hæc tamen eclipſis non reperitur in omnibus huiuſmodi locutionibus, nam ſi quis Græce dicat, μέταλλον χρυσοῦ, pro μέταλλον χρύσεον, quo pacto Virgil. lib. 8. Æneid. dixit. *Auri metallum*, pro, *aureum metallum*, non habebit locum prædicta eclipſis.

X. Cum

X. Cum duo adiectiua concurrunt alterum fit ſubſtantiuum, γυναικεῖον στρατιωτικὸν Lucian. *muliebris exercitus.*

XI. Ipſa ſubſtantiua ponuntur interdum adiectiue, τὴν ἑλλάδα φωνὴν ἐξέμαθον, pro τὴν ἑλληνικὴν, *didici Græcam linguam.*

XII. Præpoſitio cum ſuo caſu fungitur vice adiectiui, ἡδονὴ μετὰ δόξης, id eſt, ἡδονὴ ἔνδοξος *voluptas honeſta:* ὁ μετ' εὐκλείας θάνατος, id eſt, εὐκλεὴς, *mors glorioſa.*

CAPVT IV.

DE CONSTRVCTIONE ARTICULI præpoſitiui.

I.

ARticulus conuenit cum nomine, & pronomine, participio, genere, numero & caſu, ſicut adiectiua & ſubſtantiua, de quibus capite præcedente diximus, ὁ λόγος, *ſermo.* ἡ τιμὴ, *honor,* τὸ ξύλον, *lignum.*

ANNOTATIO.

De officiis huius articuli dictum eſt nonnihil in Grãmatica capite ſecundo. Illis in præſentia omiſſis; Attica ſunt iſta, τὼ πόλεε, τὼ φύσεε, τὼ χεῖρε, τὼ ἡμέρα, τὼ τέχνα, de quibus iam capite ſuperiori, & libro primo ſatis dictum. Illud etiam Sophoclis in tyranno, peculiare eſt, καὶ τοῦ με χρείας ὧδε λιπαρεῖς τυχεῖν; *& quam rem neceſſariã adeo cupis à me conſequi?* pro τῆς χρείας. In illis item ἡ γναθαίνιον, ἡ γλυκέριον, potius ad ſententiam, quam ad ſtructuram reſpicitur, cum fœminina cenſeantur, quæcunq; mulieribus nomina tribuuntur.

II. Sicut in adiectiuis eleganter aliquando

ſubintelligitur ſubſtantiuum: ita etiam in articulis, τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ, τῇ δ' ἑτέρᾳ τὸ πῦρ, ſubauditur, χειρὶ, *altera fert aquam, altera vero ignem,* ſcilicet *manu,* τὴν ἐμὴν συνῆκας, *intellexiſti meam,* id eſt, γνώμην *mentem & ſententiam.*

III. Cùm Græci filium aut filiam alicuius ſignificare volunt, faciunt id per articulum maſculinum vel fœmininum, genitiuo patris matriſue præpoſitum, ὁ ἐπάφου, ὁ Φιλίππου, ſubauditur, υἱὸς, *filius, Epaphi filius, filius Philippi,* ἡ Διὸς, *ſubauditur,* θυγάτηρ. *filia Iouis.*

Articulus cum genitiuo nominis ſubſtantiui poſſeſſionem effectumq; ſignificat: τὰ τῶν φίλων, τὰ τῆς τύχης; *res amicorum: res fortunæ:* τὰ ὁμήρου, *ſcripta Homeri:* τὰ ἀριστοτέλους, *ſcripta Ariſtotelis.*

ANNOTATIO.

Interdum idem ſignificat articulus cũ nomine, quod nomen, cuius obliquo præponitur, τὰ τῆς τιμωρίας, id eſt, τιμωρία, *ſupplicium:* τὰ τῆς εὐθυμίας, id eſt, εὐθυμία, *lætitia ſeu ſtatus animi tranquillus*

IV. Articulus neutri generis præponitur quibuſcunq; vocabulis & orationibus τεχνικῶς, & pro ſe ipſis acceptis, τὸ ἄνθρωπος, id eſt, *hæc dictio,* ἄνθρωπος, τὸ γυνὴ, id eſt, *hæc vox,* γυνή.

ANNOTATIO.

Coniunguntur articuli non tantum cum nominibus & participiis, ſed etiam cum pronominibus: ὁ ὑμέτερος, *veſter,* ὁ ἐμὸς, *meus:* cum aduerbiis & præpoſitionibus, & cum verbis infinitiui modi, vt inferius ſuis locis declarabitur Non habent tamen omnia nomina articulos. nam neq; apud Latinos omnibus præponi poſſunt, Hic, Hæc, Hoc, quæ tria articulo præpoſitiuo aliqua ex parte reſpondent.

Cæterum de collocatione articuli in ipſa orationis ſtructura, non eſt quod hic dicatur; certius & melius obſeruatione & lectione auctorum & admonitione quoq; Magiſtrorum, quam regulis Grammaticorum diſcitur.

CAPVT V.

DE CONSTRVCTIONE ARTICVLI Poſtpoſitiui ſeu de Relatiuis.

DIximus in Grammatica cap. 2. articulum hunc reſpondere relatiuo qui, quæ, quod, de quo ſequentes regulas accipe.

I. Relatiuum ὅς, ἥ, ὅ, præponitur interdum antecedenti in eodem genere, numero & caſu, ſicut apud Latinos.

Demoſth. χρὴ μὰ Δί', οὐχ ἣν Διοπείθης πειρᾶται τῇ πόλει δύναμιν κατασκευάζειν, ταύτην βασκαίνειν καὶ διαλύειν πειρᾶσθαι. Ordo verus hic eſſet, οὐ χρὴ βασκαίνειν καὶ διαλύειν πειρᾶσθαι ταύτην τὴν δύναμιν, ἣν Διοπείθης πειρᾶται τῇ πόλει κατασκευάζειν. *Oportet ſane non perſtringere inuidioſe, ac conuellere eas vires, quas Diopithes vrbi comparare conatur.*

II. Relatiuum poſt antecedens poſitum, concordat cum illo non tantum in genere & numero, ſed & in caſu. Ariſtoph. τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεως, ἧς ὑβρίζομαι, *miſera ego ob iniuriam qua afficior.* Iſocrat. τοῖς γὰρ ἄλλοις, οἷς ἔχομεν, οὐδὲν τῶν ἄλλων ζώων διαφέρομεν, *aliis quæ habemus (ad verbũ, quibus habemus) nihil differimus à cæteris animalibus,* χρῶμαι βιβλίοις, οἷς ἔχω, *vtor libris quos habeo,* (ad verbum quibus habeo) ἐκ τῶν ἐπιστολῶν, ὧν ἔπεμψε. *Ex epiſtolis, quas miſit.*

III. Interdum ſubticetur antecedens. Lucianus, δεδέσθω μεμνημένος ὧν ἔπραξεν, pro ἐκείνων ὧν ἔπραξεν, *ligetur memor eorum, quæ fecit.* χαριζόμενον οἵῳ σοὶ ἀνδρί. Xenophon. pro, τοίῳ, οἵῳ, *gratificantem tali viro, qualis tu es.*

IV. Sæpe relatiuum & antecedens more latinorum conſtruuntur. Halic. χάριν οἶδα τῆς τιμῆς, ᾗ με τιμᾶτε, *gratias ago pro honore, quo me honoratis.* Idem, περὶ τῶν νόμων, οὓς ἐσπούδαζον οἱ δήμαρχοι γραφῆναι, *de legibus, quas rogari volebant tribuni.*

ANNOTATIO.

Græcam loquendi formam expreſſiſſe videtur Cornif. ad Helen. *Inter inſinuationem,* inquit, *& principium hoc intereſt, quia principium eiuſmodi debet eſſe, vt ſtatim apertis rationibus, quibus præſcripſimus,* (pro, quas præſcripſimus) *aut beneuolum, aut attentum, aut docilem faciat auditorem.* Et Terent. *Reſtitue in quem me accepiſti locum,* pro, *Reſtitue me in locum, in quo me accepiſti.*

V. Si Relatiuum ponatur inter duo ſubſtantiua, cum alterutro conſentire poterit, etiamſi alterum ſit proprium. Lucianus. πόλεις ἐκεῖναί εἰσιν, οὓς φωλεοὺς εἶναι νομίζεις, *ciuitates illæ ſunt, quos tu ſpecus arbitraris.*

Plato, λόγοι μέν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν, *rationes in ſingulis noſtrum ſunt, quas ſpes nominamus.*

ANNOTATIO.

Interdum nec cum antecedente, nec cum conſequente videtur relatiuum conſentire; χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, *vidua pauper miſit duo minuta, quod eſt quadrans,* Marc 12.

VI. Par-

VI. Partitiuum ſingulare refertur non raro apud Græcos per relatiuum plurale. Xenoph. κατὰ γὰρ τοὺς νόμους ἐάν τις φανερὸς γένηται ἢ κλέπτων ἢ βαλαντιοτομῶν, τούτοις θάνατός ἐστιν ἡ ζημία. *nam ſecundum leges ſi quis furetur, crumenaſue præcidat, mors illis mulcta eſt.* τούτοις pro τούτῳ. Sopho. in Antigone.

ὅστις γὰρ αὐτοὺς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
ἢ γλῶτταν ἣν οὐκ ἄλλος ἢ ψυχὴν ἔχειν,
οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί.

Quicunque enim ſolum vel ſapere vel linguam qualem præter illum nemo alius, animumue ſe habere exiſtimat, hi patefacti vacui & inanes conſpecti ſunt. οὗτοι pro οὗτος.

ANNOTATIO.

Simile eſt illud Terentii.

Si quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minime multos lædere:
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.

Licet autem οὗτοι & τούτοις ab οὗτος ſint demonſtratiua pronomina, ſæpe tamen vſurpantur relatiue, vt etiam hic, hæc, hoc, illud.

VII. ἡλίκος, *quãtus*, οἷος, *qualis*, ὅσος, *quãtus*, & cætera id genus nomina, quando relatiua fiũt, cum ſubſtantiuo ſequente frequenter genere non conueniunt. Ariſt. τὸ γὰρ ἔμβρυον γίνεται, ὅσον μόσχος δίμηνος ἢ τρίμηνος, pro τὸ γὰρ ἔμβρυον γίνεται τοσοῦτον, ὅσος μόσχος, *tantus eſt embryo, quantus vitulus bimeſtris vel trimeſtris.*

Idem τῶν ἐλεφάντων ἔμβρυον, ἡλίκον μόσχος ἐστὶν, pro ἔμβρυον τηλικοῦτο, ἡλίκος ὁ μόσχος, *ele-*

 phan-

phantum tantus est embryo, quantus vitulus. Theophil. περιέχουσι δὲ καὶ τὸ καλούμενον ὄρυζον, τοῦτο δὲ ὅμοιον τῇ ζειᾷ καὶ περιπτισθὲν, οἷον χόνδρος, id est, τοσοῦτον, οἷος χόνδρος, *ferunt etiam id quod vocatur oryzō, est vero hoc simile zeæ, purgatumq; tantum, quantum granum.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budæus in comment. cuiusmodi est etiam hoc Theophrasti; πάχος ἡλίκον ὁ δάκτυλος ὁ μέγας τοῦ χειρὸς, pro πάχος τηλικοῦτον, ἡλίκος δάκτυλος, crassitudo tanta, quantus magnus est digitus. Idem μεγέθει μὲν ἡλίκος ῥόα τῷ σχήματι δὲ περιμήκης. pro μεγέθει μὲν τηλικοῦτος (φοῖνιξ) ἡλίκη ἡ ῥόα, magnitudine tanta est palma, quanta malus punica, figura vero prælonga. Ceterum quæ , & cur dicantur relatiua substantiæ accidentis & diuersitatis, vide apud Emmanuelem. Relatiua accidentis apud Græcos sunt, ἡλίκος, ὅσος, quantus; οἷος, qualis; πόσος, quot; πόστος, quotus; ἀνὰ πόσους, quoteni; ποσαπλοῦς, quotuplex; ποσαπλάσιος, quotuplex; ποσαετὴς, quotennis, ποδαπὸς, cuias.

CAPVT VI.

DE PRONOMINE.

I.

GRæcis vsitatum & liberum est substantiuo adiungere genitiuum pronominis primitiui, loco pronominis possessiui, πατὴρ ἡμῶν, pro ἡμέτερος, *pater noster.* οἶκός σου, pro οἶκος σὸς, *domus tua:* χειρὶ ἐμοῦ, pro χειρὶ ἐμῇ, *manu mea.*

ANNO-

ANNOTATIO.

Hinc fit vt pronomina cum ſuo adiuncto non ſemper caſu conueniant. Quia tamẽ poſſeſſiua in genitiuos primitiuorum, & primitiua in poſſeſſiua reſolui poſsũt, ideo facile eſt pronomen eiuſq; appoſitum conciliare in caſu. ὁ φίλος μου, ὁ φίλος ἐμὸς, *amicus meus.* Oratores plerumq; addunt articulum, ὁ πατὴρ, ὁ ἐμὸς. *pater meus*, ἡ μήτηρ ἡ σὴ, *mater tua.*

Vtebantur autem veteres Romani Græcorum exemplo, genitiuis primitiuorum pro poſſeſſiuis, vt docet ex Gellio Emmanuel in regulis pronominis. *Si dicere velis* patrem mei, pro patrem meum, inquit ille, *quo Græci modo* τὸν πατέρα μου, *dicunt, inuſitate quidem, ſed recte profecto, eaq; ratione dices, qua Plautus dixit, labori mei:* pro *labori meo,* Cic. præterea primitiuum pro poſſeſſiuo, Græcorum more, aliquando accepit; vt docet Budæus non longe ab initio ſui commentarii.

II. Pro poſſeſſiuis vſurpantur quoq; genitiui compoſiti, ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, cum in eadem perſona manetur. Iſocr. παράδειγμα καταστῆσαι τὸν τρόπον τὸν ἐμαυτοῦ τοῖς ἄλλοις βούλομαι, *meos mores aliis tanquam exemplum ad imitandum proponere volo.*

III. Sicut apud Latinos genitiui, mei, tui, ſui, aliquando actiue, aliquando paſſiue vſurpantur, ita etiam ἐμοῦ ſeu μου, σοῦ & οὗ, apud Græcos. Actiue quidem in exemplis ſupra allatis. Paſſiue in his, πρὸς βίαν ἐμοῦ. Soph. (*Ad verbum*) *ad violentiam mei*, id eſt, *me inuito, me coacto*, Æſchyl. οὐ γὰρ νενίκησθ᾽, ἀλλ᾽ ἰσόψηφος δίκη ἐξῆλθ᾽ ἀληθῶς, σοῦ κ᾽ ἀτιμία σέθεν. *Non enim victæ eſtis, ſed parium ſuffragiorum ſententia exiuit vere, non ad ignominiam tui.*

IV. Ipsa possessiua passiuam interdum significationem habent. Plato, καί μοι μηδὲν ἀχθεσθῇς, εὐνοίᾳ γὰρ ἐρῶ τῇ σῇ, *ne mihi succenseas; dicam enim tua beneuolentia*, id est, *pro mea in te beneuolentia.*

Homer. ἀλλά με σός τε πόθος σά τε μήδεα, φαίδιμ' ὀδυσσεῦ, μελινδέα, θυμὸν ἀπηύρα, *sed me tui desiderium & tui cura, inclyte Vlysses, vita priuarunt.* τῷ ἐμῷ πόθῳ κατέφθιται. Soph. *Mei desiderio extabuit.* ἐπὶ βλαβῇ τῇ ἐμῇ. Demosth. *mei lædendi causa.*

ANNOTATIO.

Etiam apud Latinos passiue reperies possessiua vsurpata. Terent. Phorm. *Nam neq; negligentia tua neq; id odio fecit tuo,* pro *tui* Idem Heaut. *Facile scires desiderio id fieri tuo,* pro *tui.*

V. Possessiuis additur nonnunquam genitiuus possessoris, seu agentis. Lucian. ὅλως δὲ τὰ ἐμὰ οὗτοι σπαθῶσι, τοῦ κακοδαίμονος. *hi vero omnino res meas infelicis dilapidant.* Nazianzenus. ἐμὸς ὁ κίνδυνος, ἐμὸν τὸ γέρας τοῦ τῆς ψυχῆς οἰκονόμου, καὶ τελειοῦντος διὰ τοῦ βαπτίσματος, *meum est periculum, meum ipsius præmium est, animam tuam gubernantis, teq; per Baptismum perficientis.* Homer. Δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος, *Leuir meus impudicæ erat.*

ANNOTATIO.

Idem apud Latinos fit, vt multis exẽplis ostendit Emmanuel. Iam satis sit illud Horatii Serm. 1. Satyr. 4.

Cum mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis.

VI. Re-

VI. Relatiuum αὐτὸς Datiuum habet. Demosth. δεῖ εὔνουν καὶ δίκαιον πολίτην ταὐτὰ λυπεῖσθαι καὶ ταὐτὰ χαίρειν τῷ δήμῳ, *oportet beneuolum & iustum ciuem eadem dolere, & eadem gaudere populo.*

ANNOTATIO.

Eiusdem constructionis exempla habent Latini. Horat. ad Pison.

Inuitum qui seruat idem facit occidenti.

Ταὐτὸ τῷ κτείνοντι.

VII. Idem fere vsus est reciprocorũ οὗ, ὅς, seu ἑός, σφέτερος, ἑαυτοῦ apud Græcos, qui sui, suus, suiipsius, apud Latinos. Fit enim transitio tertiæ personæ in seipsam, aut in possessionem eius, aut rei possessæ in possessorem, ἔφη γὰρ εἶναι ἀνδράποδον οἱ ἐν Λαυρείῳ. Antocid. *Dicebat enim sibi esse mancipium in Laureo.* δεῖται ἐπιμηκεστέραν γενέσθαι οἱ τὴν νύκτα. Lucian. *Petit sibi longiorem fieri hanc noctem.*

Homil. τοῖσιν δ' ἡγεμόνευεν ἑὰ πρὸς δώματα Νέστωρ, *his præibat Nestor ad suas ædes.*

Χώραν ταύτην φησὶν ἑαυτοῦ, καὶ οὐχ ὑμετέραν εἶναι. Demosth. *Regionem illam ait suam, & non vestram esse.* Εὔφραιος ἀπέσφαξεν ἑαυτόν. Demosth. *Euphræus occidit seipsum.* εἴ τινες ἴδοιέν πη τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάῤῥησαν ἄν, Thuc. *Si qui videbant alicubi suos vincere, animum recipiebant.*

VIII. Pronomina hæc accipiuntur interdum non αὐτοπαθῶς, id est, non ita vt actio reflectatur in seipsam. Nazianz. ἐπειδή οἱ φαυλῶσαι πλῆθος πολὺ, οἱ pro αὐτῷ, *Postquam ei magna multitudo*

tudo

tudo apparuit. Pauſ. καί οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα, *eiq́ natum eſſe filium Phaethontem.*

Hom. ἰδνώθη, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ. οἱ pro αὐτῷ, in vtroq; loco. *Dolore ſe incuruauit, & calida ei excidit lachryma.*

Thucyd. μέγιστον μεθ' ἑαυτοῦ, pro μετ' αὐτοῦ, *maximum poſt ipſum.*

ANNOTATIO.

In his locis vſurpantur reciproca pro relatiuis, quod in latina quoq; lingua contingit, vt Budæus & Emmanuel demonſtrant. Lucan.

Qua nox ſibi proxima venit
Inſomnis, viduo tum primum frigida lecto.

ſibi pro ei.

Cic. *Res erat & cauſſa noſtra eo loci, vt erigere oculos & viuere videretur, quiquis erat qui aliquam partem ſceleris Clodiani attigiſſet, quocunq́ venerat, quod iudicium ſibi cumq́ erat damnabatur.* ſibi pro ipſi.

Plato, ἐπειδὴ δὲ οὗ ἐκβῆναι τὴν ψυχὴν πορεύεσθαι μετὰ πολλῶν, καὶ ἀφικνεῖσθαι σφᾶς ἐπὶ τόπον τινὰ δαιμόνιον, *cum autē anima eius exiſſet, cum multis iuiſſe, eoſq́ ad locum quendam admirandum perueniſſe.* οὗ pro αὐτοῦ, σφᾶς pro αὐτοὺς poſito. Ad verbum ita vertitur. *Cum autem anima ſua exiſſet cum multis iuiſſe, ſeq́ ad locum quendam.*

Porro cum ἑὸς vt ὅς, *ſuus*, non modo τὸ ἴδιον ἑαυτοῦ, ſed abſolute etiam τὸ ἴδιον ſignificet apud Græcos, fit vt in libris Græcis & Latinis, imitationem Græcorum, nonnunquam reciproca eo loco poſita reperias, cui minime conuenire videantur. Plaut. Mercat. *Iubet ſaluere ſuus vir vxorem ſuam.* Cic. *Hic Tito fratre ſuo cenſore, qui proximus ante me fuerat elapſus eſt.* Et pro Rabir. *Nec illius animi aciem perſtringit ſplendor ſui nominis*, quibus omnibus locis ſuus idem eſt quod ἴδιος, proprius, ſicut in illo Cicer. ad Atticum lib. 9. *Vlciſcentur illum mores ſui.* & in aliis de quibus Emmanuel.

IX. Re-

IX. Relatiuum αὐτὸς ponitur interdum loco reciproci. Nazianzenus. ὁρῶν οὖν τὴν τοῦ δήμου κίνησιν ἐπ᾽ αὐτόν, pro ἐφ᾽ ἑαυτόν, *videns igitur motum populi contra se.* καὶ ἔχουσιν ἐπ᾽ αὐτῶν βασιλέα. Apocal. 9. pro ἐφ᾽ ἑαυτῶν, *& habent suum regem*, seu, *& habent supra se regem*. Alii tamen legunt; ἐφ᾽ ἑαυτῶν.

ANNOTATIO.

Hæc relatiui in locum reciproci substitutio efficit aliquando orationem ambiguam, vt notat Budæus. Δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. 1. Corinth. 15. Vbi dubites, inquit Budæus, suis an eius intelligere debeas. *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.*

X. ἀλλήλων, ἀλλήλοις, ἀλλήλους, similem habent cum pronominibus constructionem, & latine redduntur interdum per aduerbium, *inuicem* aut *mutuo*, interdum per nomina, *alter*, *alterum*, vel *inter se*, & reguntur à verbo, cui copulantur. Aristo. τοὺς ἀγαθοὺς χρὴ εὐνοεῖν ἀλλήλοις, *bonos decet inter se esse beneuolos.* Idem, ὡς τὰ πολλὰ ἄνθρωποι διὰ τὸ χρήσιμον φιλοῦσιν ἀλλήλους, *vt plurimum homines propter vtilitatem diligunt inter se:*

Capvt VII.

De constrvctione transitiva nominvm svbstantiuorum.

I.

Quotiescunq; duo nomina substantiua rerum diuersarum in oratione continuantur, alterum erit genitiui casus, *ἀετοῦ γῆρας, senectus aquilæ, ἀτυχία τοῦ βίου, infelicitas vitæ. σημεῖον ἀρετῆς*, Isocrat. *Signum virtutis.*

Exceptiones.

I. Licet substantiua ad eandem rem pertineant, alterum tamen ponitur frequenter in genitiuo: *πόλις ἀθηνῶν*, pro *πόλις ἀθῆναι, ciuitas Atheniensis. πτολίεθρον τροίης*, pro *πόλις τροία, vrbs Troia.*

II. Aliquando loco genitiui ponitur præpositio cum suo casu, *ἀτυχία περὶ τὸν βίον*, id est, *ἀτυχία βίου, infelicitas vitæ.*

III. Substantiuum cum suo genitiuo sæpe est tantum rei alicuius periphrasis, valde vsitata Poëtis. *βίη πριάμοιο, vis Priami*, id est, *Priamus, ἲς τηλεμάχοιο, robur Telemachi*, id est, *Telemachus. συὸς χρῆμα, σῦς, sus, υἷες Ἀχαιῶν*, Hom. *Achiui. γραφέων παῖδες*. Lucian. *pictores.*

Annotatio.

Huius circumlocutionis occurrunt etiam exempla apud Latinos, *Fortis equi vis*, id est, *equus*, apud Lucretiũ. *Odora canum vis*, id est, *canis*, apud Virgilium. *Mitis sapientia Læli*, id est, *Lælius*, apud Horatium.

II. In

II. In nominibus propriis gentis & cognationis, omittitur apud Græcos ſubſtantiuum, Ἰάκωβος Ζεβεδαίου, *Iacobus Zebedæi*, nempe παῖς, *filius*. Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου, *Alexander Philippi*. παῖς vel υἱὸς, *filius*. Ἀλέξιδι τῷ Ἀριστοδίκου, ſubauditur, ἀδελφῷ. *Alexidi fratri Ariſtodici*, apud Lyſiam. Πτολεμαῖος ὁ Λάγου. Lucian. *Ptolemæus Lagi filius.*

Interdum additur ſubſtantiuum, πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως, Eurip. *Polydorus Hecubæ filius.*

ANNOTATIO.

Hinc illa apud Virgilium. *Deiphobe Glauci*, nempe filia, *Hectoris Andromache*, nempe vxor.

III. Adiectiua cum ſubſtantiue ponuntur, more ſubſtantiuorum conſtruuntur, ſubſtantiue autem ponuntur potiſſimum adiectiua neutra cum articulo τὸ, idemq; plane valent, quod abſtracta, τὸ τοῦ Θεοῦ εὐμενὲς ἡμῖν συναγωνίζεται. Demoſth. *Dei beneuolentia nos adiuuat*, τὸ εὐμενὲς, pro εὐμένεια, εὔνοια, *beneuolentia*. τὸ νέον τῆς πόλεως, pro ἡ νεότης, *iuuentus ciuitatis*. πρέπει πανταχοῦ τὸ τραχὺ ἀπωθεῖσθαι, pro τὴν τραχύτητα. S. Baſilius, *aſperitatem vbiq; repellere decet.*

ANNOTATIO.

Valde vſitatum eſt apud Græcos concreta pro abſtractis ponere, τὸ δίκαιον, τὸ σοφὸν, τὸ εὐσεβὲς, τὸ ἀσεβὲς, pro δικαιοσύνη, σοφία, εὐσέβεια, ἀσέβεια, *iuſtitia, ſapientia, pietas, impietas*, quod non tantum nominibus contingit, ſed etiam participiis; τὸ θυμούμενον, id eſt, θυμὸς, *ira, odium*, apud Thucydidem, & τῷ ξενίζοντι, pro τῷ ξενισμῷ, *nouitate, inſolentia*, apud Diodorum.

Pertinent etiam huc illa, τὸ Ἰωνικὸν τῆς στολῆς, *Ionica stola*, τὸ βαρβαρικὸν τῆς γλώττης, *barbara lingua*, pro Ἰωνικὴ στολὴ, βαρβαρικὴ γλῶττα. Sic τὰ ἄδηλα τῆς τύχης, *incerta fortuna*, & alia huius generis substantiue poni solita, quæ Latini non infeliciter sunt imitati, *vt opaca nemorum, incerta viarum, incerta casuum.*

Prædictis adde hæc, εἰς τοῦθ' ἥκεν ἀναιδείας, μανίας, ἀνοίας, *eo processit impudentia, insania, stultitia*, pro εἰς ταύτην ἀναίδειαν, μανίαν, ἄνοιαν. Herodian. εἰς τοσοῦτον προεχώρησεν ὕβρεως, *eo venit iniuria*, pro εἰς τοσαύτην ὕβριν. Qui modi loquendi passim apud auctores obuii sunt.

IV. Substantiua cum ad laudem vel vituperationem referuntur, genitiuo vel datiuo gaudent. ἀνὴρ μεγάλης βουλῆς, *vir magni consilii*, ἄνθρωπος ἀχαλίνου στόματος, *homo effrenati oris*. ἐστὶ γοῦν γένει μὲν ὁ Λεύκων δήπου ξένος, *genere & natione est Leucon peregrinus*. Demosth.

ANNOTATIO.

Vsitatius tamen hæc & similia efferuntur apud Græcos synecdochice per accusatiuum, ἀνὴρ μέγας βουλὴν, ξένος τὸ γένος, *peregrinus genere*, de quo pluribus infra.

Antequam porro hoc caput finiamus, aliquid dicendum videtur de Syntaxi interrogationis & responsionis.

V. Interrogatio & responsio casu conueniunt, sicut apud Latinos; τί γλυκὺ ἀνθρώποις; ἐλπίς. Laert. *Qui dulce hominibus? Spes.*

Interdum discrepant, quando scilicet per pronomen possessiuum respondetur, aut sensus potior ratio habetur, quam vocis, quod tunc præcipue fit, cum idem verbum plures casus admittit. τίνος ἐστὶν ὁ λόγος; ἐμός, *cuius est oratio? mea.*

Θανάτῳ δὲ ποίῳ φησὶ μέλλειν θανεῖν; οἰκτρό-

τατον. *Qua morte ait Menelaum periisse? miserrima.* Eurip. in Helena.

Dicimus enim, θνήσκω θανάτῳ, καὶ θάνατον.

ANNOTATIO.

Vt interrogatiua substantiæ & accidentis semper habeantur in promptu, visum est illa hic subiicere: substãtiæ ergo interrogatiua sunt *πότερος, uter? ἕτερος, alter, οὐδέτερος, neuter, τίς, quis? ἄλλος, alius. οὐδεὶς, nemo.* Interrogatiua accidentis numerantur sequentia.

Ποῖος, qualis? ἀπαίδευτος, παιδευτὸς, κακὸς, ἀγαθὸς indoctus, doctus malus, bonus.

Πηλίκος, quantus? μέγας, magnus. μικρὸς, paruus, δεκάπηχυς, δωδεκάπηχυς, decem, duodecim, cubitorum.

Πόσου quanti? πολλοῦ, magni. ὀλίγου, parui.

Ποταπὸς, cuias? Γερμανὸς, Germanus, ἕλλην, Ἰταλιώτης. Græcus, Italus.

Πόσα, quot? δύο, τρία, duo, tria.

Πόσος, quotus? πρῶτος, δεύτερος, primus, secundus.

Ποσαπλοῦς, quotuplex? διπλοῦς, τριπλοῦς, τετραπλοῦς, duplex, triplex, quadruplex.

Ποσαπλάσιος, quotuplus? διπλάσιος, τριπλάσιος, duplus, triplus.

Ποστημόριον, quota pars? τριτημόριον, τεταρτημόριον.

Ποσαετὴς, quotennis? quot annorum? διετὴς, biennis, τριετὴς, triennis.

Ποσταῖος, quoto die? δευτεραῖος, τριταῖος.

CAPVT VIII.

DE CONSTRVCTIONE TRANSITIVA NOMINVM ADiectiuorum.

QVædam adiectiua genitiuum, quædam datiuum, alia vtrumq; , alia deniq; accusatiuum habent, de singulis ordine dicemus.

GENITIVVS POST NOMEN Adiectiuum.

I. Adiectiua quæ scientiam, communionē, dignitatem, copiam, curam, desiderium, & his contraria significant, genitiuo iunguntur.

(Scientiam.)

Lucian. ἔμπειρος τοῦ χωρίου, *peritus loci.* ἄπειρος τῶν πράξεων ὁ νέος, Arist. *iuuenis est rerum imperit⁹.*

(Communionem.)

Κοινωνὸς τῶν ἀποῤῥήτων. Herodian. *Particeps secretorum.* ἰσόμοιρος πάντων, Xenoph. *omnium ex æquo particeps.* τιμῆς ἔμμοροι. Homer. *participes honoris.*

(Dignitatem.)

Ιητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Homer. *vir medicus multis viris æquiualet.* ἀνάξιον τῆς τῶν προγόνων δόξης, Demosth. *indignum gloria maiorum.* ἐπαίνου ἄξιος μᾶλλον ἢ μέμψεως, Xenoph. *magis laude dignus quam reprehensione.*

(Copiam.)

Τὸ φρέαρ ἐλαίου μεστόν, Aristoph. *puteus plenus olei.* κενὴ ὀϊστῶν ἡ φαρέτρα. Lucian. *pharetra inanis sagit-*

ſagittarum, ἀφνειὸς βιότοιο, *diues opum*. πένης ἀργυρίου, *inops pecuniæ*, χώρα ἐύφορος πάντων, Herodian. *regio omnium ferax.*

(Deſiderium.)

Nazianz. Διψαλέος αἵματος, *ſitiens, cupidus ſanguinis*. φιλομαθὴς τῶν ἑλληνικῶν μαθημάτων, Lucia. *ſtudioſus Græcarum literarum.* ἀνόρεκτος αἰσχρᾶς ἡδονῆς, Ariſt. *Non appetens turpis voluptatis.* ἀμελὴς τῶν μουσῶν, Lucian. *Negligens Muſarum.*

ANNOTATIO.

Conueniunt fere Latini cum Græcis in hac regula, niſi quod adiectiuum *dignus*, & ſimilia ipſi cũ ablatiuo conſtruunt, quamuis etiam cum genitiuo reperias. Balbus ad Ciceronem lib. 8. ad Atticum. *Obſecro te, mi Cicero, ſuſcipe curam & cogitationem digniſsimam tuæ virtutis.* Virg. l. 12. Æneid. *Deſcendam magnorum haud vnquam indignus auorum.* & ſæpe in ſacris literis ſimilis Syntaxis occurrit.

II. Genitiuum quoq; habent adiectiua pretii, ſeu emptionis, diuerſitatis, accuſationis, damnationis, abſolutionis, & quæ conſtant particula α priuante, & denominatiua in κὸς, & his contrarium ſignificantia, itemq; numeralia ordinis.

(Pretii ſeu emptionis.)

Αἱματός ἐστιν ἡ ἀρετὴ ὠνία. Æſchin. *virtus venalis eſt ſanguine.* πολλοῦ ἄξια. Demoſth. *magni pretii.* πόσου νῦν ὁ πυρός ἐστιν ὤνιος; Lucian. *Quanti nunc venditur frumentum?*

(Diuersitatis.)

Plato 2. de Republica, οὐδὲν οὖν διάφορον τοῦ ἑτέρου ποιεῖ, *nihil diuersum ab altero facit.* οὐδὲν ἀλλότριον ἐποίησε, τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, οὐδὲ τοῦ τρόπου. Demosth. *nihil alienum fecit à sua patria, neq; à suis moribus.* παῦε με ἄλλον ποιῶν σεαυτοῦ. Lucian. *Desine me alium à te facere.*

(Accusationis & absolutionis.)

Ἔνοχος δεσμοῦ, *reus vinculi,* seu, *vt vinciatur.* ἔνοχος ἱεροσυλίας, Aristot. *reus sacrilegij.* ὑπόδικος ἀσεβείας. Plato, *reus impietatis,* ἁγνὰς χεῖρας αἵματος φέρεις, Eurip. *manus habes puras à sanguine.* καθαρὸς πάντων τῶν ἐγκλημάτων, *purus omnium criminum.*

NOMINA CVM PARTICVLA *priuante.*

Ἀθῷος τῆς Φιλίππου δυναστείας. Demosth. *liber à dominatu Philippi.* ἀδαπάνος χρημάτων εἰς τὸ δέον, Aristotel. *parcus pecuniarum in re necessaria.* Xenoph. ἐπιθυμιῶν ἀκρατὴς, *cupiditates continere non valens.*

(Denominatiua in κὸς.)

Ἀγαθὸς Θεὸς καὶ ἀγαθῶν παρεκτικὸς, S. Basilius, *Deus bonus est, & dator bonorum.* Aristot. καθάπερ ἐστὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγίεια, οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία, *vt sanitas corpus, sic doctrina conseruat animum.*

(Nume-

(Numeralia ordinis.)

Ὅμηρος πάντα δεύτερα γαστρὸς ποιεῖται. Hesiod. *Homerus omnia ventri posthabenda censet.* νόμων ἐμπειρίᾳ οὐδενὸς δεύτερος. Athen. *legum cognitione nulli secundus.*

ANNOTATIO.

Adiectiua diuersitatis nonnunquam genitiuum apud Latinos quoq; regunt. Cic. 1. de finibus. *Quis alienum putet esse eius dignitatis, quam mihi quisq; tribuit?* Quod ipsum etiam de multis ex priuante particula IN, cōpositis dicendum est. Nam vt Græcis α, ita Latinis IN, priuat. Exempla inuenies apud Emmanuelem in scholiis regulæ de Genitiuo post nomen adiectiuum.

Illa nominatiua in κὸς Latine vix cōmode ad verbum exprimi possunt vno verbo, nisi quis barbaro vocabulo velit vti. Neq; enim τρόπον πορισικὸν τοῦ βίου recte interpretaberis, *rationem necessariorum suppeditatiuam*, sed, *vel suppeditatricem*, vel, *suppeditantem*, vel periphrasi; *quæ necessaria suppeditandi vim habet.*

EXCEPTIO.

I. Quædam ex supradictis vocabulis construuntur etiam cum Datiuo, ἔνοχος τοῖς νόμοις, *reus Legum*. Lucian. ἔνοχος τῇ κρίσει, συνεδρίῳ, Matthæi 5. *reus iudicii*, vel *reus iudicio*, *reus cōsilio*, vt vertit interpres sacer. ὑπόδικον τιμωρίᾳ, Chrysostom. *obnoxium pœnæ.*

II. Datiuum itidem habent Denominatiua in κὸς, quę deriuantur à verbis habentibus Datiuum, τοῖς πάθεσιν ἀκολουθικὸς ὁ νέος. Aristot. *Iuuenis sequitur affectus.* Nam verbum ἀκολουθεῖν

θεῖν datiuum regit. Sunt & alia nonnulla, de quibus infra.

III. Quædam adiectiua habent genitiuum per eclipsin, deficiente scilicet ἕνεκα, μακάριε τῆς θέας. Lucian. *felix qui hæc videris.* ἄθλιος τῆς τύχης, *miser ob fortunam*, vtrobiq; subauditur ἕνεκα.

IV. Genitiuo iunguntur partitiua, vt apud Latinos, γειτόνων πολλοί. Pind. *multi vicinorum:* μόνη τῶν πόλεων, *sola ciuitatum*, ἕκαστον τῶν ζώων, *vnumquodq; animalium.* Vide Emmanuelem.

DATIVVS POST NOMEN Adiectiuum.

I. Adiectiua quibus commodum, voluptas, gratia, fauor, similitudo, æqualitas, fidelitas, mos, consuetudo, & his contraria, significantur, Datiuum habent non secus atq; apud Latinos, exempla passim sunt obuia.

II. Prædictis adde adiectiua quædam passiuæ significationis à verbis deducta, & Latinis in bilis, vt *amabilis*, respōdentia, ἐπ' ἐκείνους πέμπε με, οἷς τίμιος ἐγὼ καὶ περιπόθητος, Lucian. *ad illos mitte me, quibus ego honorabilis & exoptabilis sum.*

III. Adde etiam composita ex σὺν & ὁμοῦ, *simul*, & præterea multa verbalia casum sui verbi imitantia, ὁμότεχνος ἐμοὶ, *eiusdem artis atq; ego.* ὁμόγλωσσος ἐκείνῳ, *eiusdem atq; ille linguæ.* σύντροφος τῇ παιδείᾳ, *educatus in literis.* ὁμόψηφος ἐμοὶ, *eiusdem sententiæ ac mea est.* προσεκτικῶς τοῖς

μεγά-

μεγάλοις καὶ τοῖς θαυμαστοῖς. Arist. *Qui magnis & miris attendit.* quia προσέχω. Datiuum habet.
IV. Substantiua aliquando Datiuum habēt imitatione adiectiuorum, vt cum Aristoteles ait, νέμεσιν dictam ἀπὸ τοῦ ἑκάστῳ διανεμήσεως, *à suum cuiq; distribuendo.* Sic Cicer. *Iustitia est obtemperatio scriptis legibus.* Nimirum quia διανέμειν, & obtemperare Datiuum habent, ideo etiam substantiua verbalia ab illis deducta cũ datiuo iunguntur. Sic apud Plautum; quid tibi hanc aditio est, quid tibi hanc notio est? quia *adeo* & *nosco* accusandi casum petunt.

EXCEPTIO.

Multa ex prędictis genitiuũ admittunt, sicut & apud Latinos. ὄρνις ὁμοία τῶν λοιπῶν ὀρνίθων. Æsop. *Gallina similis aliarum gallinarum.* Theodor. ὁ μὲν πόνος κοινὸς δούλων καὶ δεσποτῶν, *labor communis est seruorum & dominorum.*

V. Quoduis adiectiuum admittit Datiuũ modi, caussę, instrumenti, similisue circũstantiæ. Aristot. ἴσα τῷ ἀριθμῷ ᾠά, *oua numero paria.* θρασὺς στόματι, *audax ore.* ἕτοιμος ξίφει, *paratus gladio, promptus manu.*

ACCVSATIVVS POST ADIEctiuum.

I. Multa adiectiua laudem vel vituperationem, patriam, gentem, nomen, vel partem significantia, accusatiuum habent prępositione κατὰ per synecdochen subintellecta. Herod. κροῖσος ἦν λυδὸς μὲν τὸ γένος, *Crœsus erat genere vel natione Lydus.* θαυμάσιος τὴν τέχνην. Lucian. *Mirandus arte.*

ANNOTATIO.

Nomina hæc nonnunquam Datiuum habent, τῷ εἴδει καλὸς, *ſpecie pulcher*, quo pacto ad ſuperiores de Datiuo regulas pertinent. Eſt autem modus hic loquendi Græcorum Latinis, & maxime Poëtis valde vſitatus, vt apud Emmanuelem cernere licet.

II. Quædam adiectiua habent accuſatiuum interpoſitu præpoſitionis εἰς, περὶ, ἐπὶ. Ariſtop. δεινὸς εἰς τὰ πάντα, *idoneus & acer ad omnia*. δεινὸς περὶ τὴν νομοθεσίαν, Ariſtot. *aptus ad leges ferendas*. χρήσιμος εἰς τὰ πολεμικά, *vtilis ad res militares*. τὴν τοῦ σώματος ἰσχὺν ἱκανὴν ἐπὶ τοὺς πόνους ἔχουσι. Plato, *Sat virium habent ad labores*. ἱκανὸς πρός τι, *aptus ad aliquid*.

ANNOTATIO.

Idem fit in his nominibus, accommodatus, aptus, idoneus, & aliis, de quibus Emmanuel.

III. Adiectiua quibus generalis dimenſio ſignificatur, non conſtruunt Græci cum accuſatiuo, vel datiuo, loco ablatiui ad normam Latinorum, ſed circumloquuntur plerumque per ſubſtantiua abſtracta, in nominatiuo, vel datiuo, vel accuſatiuo poſita, ſubintellecta crebro præpoſitione κατὰ per ſynecdochē. Xenoph. τοῦ μαιάνδρου τὸ εὖρος (ἐστὶ) δύο πλέθρα, *Mæandri latitudo eſt duo iugera*. Idem, τοῦ Μαρσύου τὸ εὖρος εἴκοσι, καὶ πέντε ποδῶν, *Marſyæ fluuii latitudo eſt viginti quinque pedum*. Εὐφράτης ἐστὶ τὸ εὖρος τεττάρων σταδίων. Idem, *Euphrates latitudine eſt quatuor ſtadiorum*. Herod. ἐόντας τὸ μέγεθος εἴκοσι πήχεων, *erant magnitudine viginti*

ginti

ginti cubitorum. Diodor. χῶμα δίπλεθρον τῷ πλάτει, *agger duorum iugerum latitudine.*

ANNOTATIO.

Ad Latinorum normam ita dicendum esset, ὁ μαίανδρός ἐστιν εὐρὺς δύο πλέθρα, δύο πήχεις: vel μέγας δέκα, ἑκατὸν πήχεσι vel πήχεις, vel etiam in genitiuo. (Nam & hæc constructio inuenitur apud Latinos) πηχέων, πλέθρων, δακτύλων, ποδῶν.

Pro Latino illo, *opus est*, vtuntur Græci verbis impersonalibus δεῖ & προσδεῖ cum genitiuo. Demosth. δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων, *pecunia sane opus est, nec sine hac præclarum quicquam agi potest.* Idem, οὐ λόγου προσδεῖν ἡγοῦμαι, *non arbitror opus esse verbis.* Vtuntur etiam nomine χρεία, χράομαι, *vtor*, χρεία ἐστὶ τούτου, *vsus seu opus est hac re*, Arist. ἔφησεν ἑαυτῷ χρείαν εἶναι καὶ τούτων, *his quoque sibi opus esse dixit.* πείρας χρεία ἐστὶ, S. Chrysost. *experientia opus est.* Respondet autem vocabulo χρεία, ad verbum, illud Latinum *vsus*, quo sæpe vsi sunt auctores, pro *opus*. Plaut. *Viginti iam vsus est filio argenti minis.* Virgil. lib. 8.

Arma acri facienda viro, nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, &c.

CAPVT IX.

DE CONSTRVCTIONE GRADVVM COMPARATIONIS.

I.

COmparatiuus genitiuum habet, Homerus de Nestore.

Οὐ καὶ

Οὗ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Cuius ab ore melle dulcior fluebat oratio.

Μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη 1.ad Cor.13. *Maior his est charitas.*

ANNOTATIO.

Interpres sacræ Scripturæ aliquoties hoc hellenismo vsus est, *Maior horum est charitas. Maiora horum faciet.*

II. Comparatiuo addi potest datiuus, significans excessum, μείζων ἐμοῦ ἑνὶ δακτύλῳ, *maior est me vno digito.*

III. Non tantum comparantur res diuersi generis, sed etiam eiusdem, imo eiusdem ad seipsum comparatio instituitur, quamuis diuerso respectu. πάντων τῶν λαχάνων μείζων, Marci 4. *Omnibus oleribus maius.* πλουσιώτεροι ἑαυτῶν γενόμενοι. Thucyd. *ditiores seipsis facti.*

IV. Comparatiuus cum partitionem significat, genitiuum habet, ὁ μείζων τῶν νέων, *maior iuuenum.*

V. Genitiuus comparatiui mutari potest in casum verbo congruentem, interpositis particulis ἤ, ἤπερ, ἠέπερ. οὐδέν ἐστι κτῆμα σεμνότερον ἢ ἀρετή, *nulla possessio honorabilior quam virtus.* ἀρείοσιν ἠέπερ ὑμῖν ἀνδράσιν ὡμίλησα, *cum melioribus viris versatus sum, quam vos sitis.* Nestor. apud Homer. Iliad. 1. Ἀννίβαλ τῇ γνώμῃ πλέον, ἤπερ τῇ τύχῃ ἐχρήσατο Lucian. *Hannibal magis prudentia quam fortuna vsus est.*

VI. Interdum post ἢ eleganter additur κα-

τὰ,

τὰ, εἰς, πρὸς, ὅσον, ὡς. γυνὴ μεῖζον ἢ κατὰ γυναῖκα φρόνημα ἔχουσα, *mulier animosior quam mulieri conueniat.* τὰ προγεγενημένα τί δεῖ μακρότερον, ἢ εἰς ὅσον τοῖς νῦν ξυμφέρει αἰτιᾶσθαι; Thuc. *Quid opus est præterita verbosius, quam quatenus præsenti rerum statui expedit, reprehendere?*

ANNOTATIO.

Hoc loquendi genus Latinis quoq; vsitatum est. Nam illud Isocratis, ἐλάττω νομίσας τὴν ἀρχὴν, ἢ κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν εἶναι: recte vertes: *Ratus imperium minus esse, quam pro suo ingenio atq; animo.* μεῖζον τὸ ἔργον ἢ κατὰ τὴν ἐμὴν δύναμιν. *maius opus est quam pro meis viribus.*

Latius porro patet vsus comparatiui apud Græcos, quam apud Latinos; multa enim ipsi comparatiuo efferunt, quę nos per comparatiuum eloqui non possumus, vt pluribus exemplis demonstrat Budæus in commētario, vnum aut alterum satis fuerit. Aristot. ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων, *itaq; attendere oportet ad sententias & opiniones, quæ demonstrari nequeunt, expertorum & prudentium, non minus quam ad demonstrationes.* Idem: εὔλογον δὲ τοῖς εἰδόσι τῶν ζητούντων ἡδίω τὴν ἀγωγὴν εἶναι, *consentaneum rationi est scientium vitam suauiorem esse, quam indagantium.* Idem: κάλλιον δ' εὖ ποιεῖν φίλους ὀθνείων, *pulchrius est amicis benefacere quam alienis.* Iam vero illa, ὀργῆς ἥττων ὤν, apud Herodianum; κρείττων χρημάτων, κρείττων παιδείας, *vix assequi potest Latinus sermo*, pari vi & elegantia. Nam si dicas. *Minor est ira; maior pecunia, maior institutione*, nihil minus exprimes, quam quod illis Græcis loquendi formulis subest, illud enim κρείττων χρημάτων, significat rem esse præstantiorem, quam quæ pecunia emi possit. Et illud, ὀργῆς ἥττων, talem qui infirmior sit, quam vt irā sumeret. Et illud, κρείττων παιδείας, *doctiorem, quam qui doceri possit.*

VII. Comparatiua recipiunt apud Græcos

augmen-

augmentum seu intensionem, adiectione harum particularum, μᾶλλον, *magis*, πολὺ, πολλῷ, *multo*, ὅσῳ, *quanto*: τόσῳ, τοσούτῳ, *tanto*. Demost. πολὺ γὰρ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν ἢ κτήσασθαι πάντα, *multo facilius est parta tueri, quam de integro aliquid acquirere.*

Interdum additur alia intensionis particula, vt apud Isæum : πολὺ μᾶλλον ἑτοιμότερον, ad verbum, *Multo magis promptius.* Quale est etiam illud S. Pauli ad Philipp. 1. πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, *multo magis melius.*

ANNOTATIO.

Latini eodem modo vim suorum comparatiuorum augent, quamuis aduerbium *Magis*, non apponant nisi raro & per hellenismum. Plautus. *Nihil inuenies hoc certo magis certius.* Idem. *Nam magis multo patior facilius verba.* Virg. *Quis queat optato magis esse beatior æuo?*

VIII. Ponitur interdum comparatiuus pro positiuo, Sophoc. in Elect. πλέον ἐχθίστη, pro πολὺ, *longe infensissima.*

IX. Ponitur vicissim positiuus pro comparatiuo, καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστὶν ἢ ζῆν ἀθλίως, pro κάλλιον. Menand. *Pulchrius est non viuere, quam viuere misere.*

ANNOTATIO.

Apud interpretem sacræ Scripturæ occurrit interdũ hoc genus loquendi, vt Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus,* pro, *melius est.* ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον, ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ κύριον, ἢ ἐλπίζειν ἐπ' ἄρχουσι, nisi potius ad Hellenismum respexisse dicendus sit.

X. Ad-

X. Adiectiua ponderis comparatiuorum naturam habent; quæ caussa est, cur cum genitiuo construantur, Ἀντίγονος παρεκάλει δ' αὐτὸν λαβεῖν δωρεὰς πολλαπλασίους ὧν πρότερον ἦν ἐχηκώς. Diodorus. *Antigonus hortabatur Eumenem, vt acciperet beneficia multis partibus plura, quam ante habuisset.* Aristot. μυριοπλάσια ἂν κακὰ ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου, *homo malus infinitis modis plura mala perpetrauerit quam bestia.*

DE SVPERLATIVO.

I. Superlatiuus genitiuum habet, σοφώτατος ἁπάντων, *sapientissimus omnium.*

II. Neq; solum genitiuum pluralem, sed & singularem nominis collectiui habere potest. ἀνδράσι τοῦ συγκλήτου βουλῆς ἀρίστοις, Herod. *viris totius Senatus optimis.* τοῦ γῆς ἡ ἀρίστη, Thucyd. *terræ optima.* Ἀλκῇ νέανδρος εὐπρεπέστατος γένους. Lycoph. *fortitudine strenuus, clarissimus generis.*

ANNOTATIO.

Idem de partitiuis dicendum est. Sicut enim recte dicitur, *Nemo plebis*, ita etiam οὐδεὶς δήμου. Vide Emmanuelem.

III. Non tantum res eiusdem vel diuersi generis inter se conferri possunt, sed etiam idem cum seipso. Demosth. οὐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, οὐδὲ πλίνθοις ἐγώ, οὐδ' ἐπὶ τούτοις μέγιστον τῶν ἐμαυτοῦ φρονῶ, *neque ego muro circumdedi ciuitatem, neque in hac re potissimum confido.*

S.Basilius, ὅτε καὶ φλογωδέστατός ἐστιν ἑαυτοῦ ὁ ἥλιος, *quando Sol maxime ardet, & seipso æstuosior est.* Plutarch. αὐτὸς αὑτοῦ κράτιστος ἐν τῷ μονομαχεῖν, *seipsum vincens in singulari certamine.* ὅτε δεινότατος σαυτοῦ ἦσθα. Xenoph. *Quo tempore omnium ætatis tuæ dierum eras dexterrimus.*

ANNOTATIO.

Has locutiones Latini imitari non possunt eadē loquendi forma, vt inquit Budæus. Quod autem quidam dicunt, in huiusmodi locutionibus idem cum seipso nō comparari, inaue est. Cum quo enim comparatur *Sol* in allato S. Basilii testimonio, si non comparatur secum? Aristoteles quoq; idem cum seipso reciproce contulit in comparatiuo: τότε αὐτὸς αὑτοῦ ὁ ἄνθρωπος εὐχρηστερός ἐστι *Tunc homo est seipso coloratior.* Dixi autem in regula *Res quoq; diuersi generis comparari.* Cur enim non recte dicam? ἄνθρωπος πάντων οὐ μόνον διπόδων, ἀλλὰ καὶ τετραπόδων μιαρώτατος, καὶ βδελυρώτατος: Sicut Latine recte dicimus, *Homo omnium non modo bipedum, sed etiam quadrupedum flagitiosissimus.*

IV. Mutatur interdum genitiuus superlatiui in alium casum, adiuncta præpositione. Aristoph. Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς, *AEschylum primum inter Poëtas arbitror.* Hom. 1. Il. μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη θεός εἰμι, *sum Dea omnium contemptissima.*

V. Superlatiui recipiunt augmentum, seu intensionem, additis particulis λίαν, μακρῷ, πολὺ, ὡς, ὅτι, ὅσον, ὡς δυνατὸν, ὡς οἷόν τε, ὅσῳ, τοσούτῳ. & aliis huiusmodi, λίαν φιλοπονώτατος, *multo cupidissimus laborum*: μακρῷ τὰ πάντα πρῶτος, *longe omnium primus*, ὡς πλεῖστοι *quam plurimi.*

Et

Et ſic de aliis. Nam exempla paſſim ſunt obuia.

VI. Attici vſurpant interdum ſuperlatiuum pro comparatiuo, τὰ ἄῤῥενα κυούμενα κινητικώτατά ἐστι τῶν θηλέων. Ariſtot. pro πολὺ κινητικώτερα. *maſculi in vtero longe mobiliores, quam femellæ.* Sophoc. ὅσῳ κράτιστον κτημάτων εὐβουλία, *quanto præſtantius eſt ſalutare conſilium opibus.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budæus, ſimulq; negat huius rei exemplum apud Latinos reperiri.

VII. Ponitur etiam comparatiuus pro ſuperlatiuo, & ſuperlatiuus pro poſitiuo, μακρῷ πάντων βαρύτερος, pro βαρύτατος. Syneſius, *longe omnium grauiſſimus.* μάλιστα δεινότατος τοῖς ἐναντίοις, pro δεινὸς. Thucyd. *grauiſſimus hoſtibus.*

VIII. Quædam nomina licet ſuperlatiua non ſint, habent tamen vim ſuperlatiuorũ, ac proinde genitiuum exigunt, ἔξοχος ἄλλων, *præſtans aliis, princeps aliorum.* δῖα θεάων. Homer. *Diua Dearum.* κορυφαῖος τῶν ἀθήνῃσι ῥητόρων. Diodorus. *Coryphæus Rhetorum Athenienſium.*

CAPVT X.
DE TRANSITIVA CONSTRVCTIONE VERBORVM QVÆ vnum caſum poſt ſe habent.

VErborum quædam genitiuum, quædam datiuum, quædam accuſatiuum exigunt; de ſingulis ordine præſcribendæ ſunt regulæ.

GENITIVVS POST VERBVM.

I. Sum eodem modo apud Græcos, quo apud Latinos cum genitiuo conſtruitur, niſi quod interdum non exprimitur. Demoſth. πολίτου δικαίου κρίνω, *viri iuſti eſſe arbitror.*

Pari modo cum laudem vel vituperationem ſignificat, genitiuum nõnunquam regit. Plutarchus, φέρνιος ἦν ἀξιώματος μεγάλου, *Furnius erat magnæ dignitatis.*

II. Genitiuum regunt verba ſenſuum, tam quæ generatim, quam quæ ſpeciatim ſenſum ſignificant, αἰσθάνομαι ψόφου, Ariſtoph. *ſentio ſtrepitum.* Demoſth. προσήκει προθύμως ἐθέλειν ἀκούειν τῶν βουλομένων συμβουλεύειν, *par eſt vt prompte illos velitis audire, qui conſilium dare volunt.* ὀσφραίνεται τοῦ χρυσίου. Lucian. *odoratur aurum.* καὶ πρῶτα μὲν δὴ τῆς κεφαλῆς ἐφήψατο. Ariſtoph. *& primo quidem caput attigit.* γεύεσθαι κακῶν, *guſtare mala.* Eurip.

ANNOTATIO.

Eadem eſt ratio vocabulorum, quæ horum ſunt ſynonyma, vt κλύω, ἀΐω, *audio* : ἐπιψαύω, θιγγάνω, *tango.* Theognis : σὺ δέ μευ κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδου. *Tu vero me exaudi, bonaq́ da.*

EXCEPTIONES.

Verba videndi, vt ὁρῶ, ὄπτομαι, βλέπω, δέρκω, θεωρῶ, θεῶμαι, eorumq; compoſita fere accuſatiuum habent. ὁρῶ τὸν ἱερέα. Ariſtoph. *video ſacerdotem.* πάντα ὁρῶ ταῦτα, *omnia hæc video,* Lucian. οὐδένα ἔβλεπε. Act. 9. *neminem videbat.*

Atti-

Attici omnia verba ſenſuum cum accuſandi caſu conſtruunt. Ariſtot. αἰσθάνονται τὰ παρόντα, *ſentiunt præſentia.*

Ἀκούσατε ὦ ἄνδρες δικασταὶ τὰ ψηφίσματα. Demoſth. *audite ô viri iudices decreta.* κακόδαιμον ὀσφραίνῃ τί; Ariſtoph. *miſer olfacis ne aliquid?* γευσάμενος γάλα. Lucian. *cum lac guſtaſſet.*

ANNOTATIO.

Μανθάνω pro ἀκούω, regit genitiuum, ὅταν μάθῃς μου, νουθέτει. Sophocl. *cum audiueris me, admone.* ſic etiam πείθεσθαι pro ἀκούειν, quando ſignificat, *auſcultare, obedire,* πείθεσθαι γὰρ εἴθισμαι σέθεν, *audire te ſoleo,* id eſt, *obedire tibi.* Eurip. κλύω & ἀκούω interdum datiuum habent. Theognis. εὐχομένῳ μοι κλῦθι, *audi me precantem.*

III. Verba quæ animi affectionem ſignificant, vt ſunt verba admirandi, appetendi, amandi, priuandi, conſequendi, aberrandi & participandi, genitiuum habent, quibus adde verbum petendi δέομαι, & verbum ἔχομαι, *adhæreo coniunctus ſum.*

(Admirandi.)

Θαυμάζω ὑμῶν, Xenoph. *miror vos.* θαυμάζω σου, Plato, *miror te.* θαυμάζω τῶν ταύτην τὴν γνώμην ἐχόντων. Iſocrat. *miror illos, qui tali ſint animo.*

(Appetendi.)

Ὀρέγεσθαι τῆς καλοκἀγαθίας. Iſocrat. *appetere honeſtatem.* Ariſtophan. οὐ γὰρ τούτων ἐπιθυμῶ,

non cupio hæc. ἐφίεμαι πλούτου, *appeto diuitias.*

(Amandi.)

Οὐ γὰρ οὕτω πλουτεῖν ἐρῶσιν. Lucian. *non ita amant diuitias.* ἐρῶντες δυναστείας. Halicar. *appetentes potentiæ.* τῶν καλῶν ἐρῶσι. Xenoph. *amant pulchra.*

(Priuandi.)

Στερηθῆναι βίου, *priuari vita.* στερηθήσεται τῆς πόλεως. Xenoph. *priuabitur ciuitate.* ὁ πόλεμος ἁπάντων ἀγαθῶν ἡμᾶς ἀπεστέρηκε. Isocr. *bellum priuauit nos omnibus bonis.*

(Consequendi.)

Τοῦ σκόπου τευξόμενος. Plato. *scopum assecuturus.* τυγχάνω τῶν δικαίων, *ius meum obtineo,* οὐκ ἀσφαλὲς ἐπιλαμβάνεσθαι μεγάλης ἐξουσίας. Demost. *non est tutum magnam potestatem consequi.* τῆς ἀρετῆς ἐφικέσθαι. Isocrat. *virtutem consequi.*

(Aberrandi.)

Ψευσθεὶς ἐλπίδος, *spe falsus.* ἀποτυγχάνειν τοῦ σκόπου, *aberrare à scopo.* ἁμαρτάνειν ὅλης τῆς ὁδοῦ, *tota via aberrare.* οἱ μὲν ἄριστα φρονοῦντες ἐνίοτε διαμαρτάνουσι τοῦ συμφέροντος. Isocrat. *sapientissimi quiq; aberrant aliquando ab vtili.*

(Participandi.)

Μετέχειν τῶν ἴσων. Halicar. *æquale ius participare.* σίτου καὶ πότου κοινωνεῖν. Xenoph. *cibi & potus participem esse.*

Eodem modo construuntur, μεταλαμβάνω, μέτεστι, μεταδίδωμι. Theog. οὐδὲ γὰρ ἂν προκαμὼν ἄλλῳ καμάτου μεταδοίης, *neq; enim ante fatigatus alium laboris seu defatigationis participem facias*, ἀθανασίας μετείληφας. Lucian. *immortalitatis es particeps.*

(Petendi.)

Ἀηδὼν ἐδεῖτο τοῦ ἱέρακος. Æsop. *Luscinia rogabat accipitrem.* Herodotus. σοῦ δέομαι μὴ δέεσθαι ἀνόμων, *rogo te ne petas iniqua.* Κλεάρχου μηδὲν πώποτε ἐδεήθην. Demosthenes. *A Clearcho nihil vnquam petiui.* τῆς τοῦ Θεοῦ λατρείας ἐχομένους. S. Chrysost. *Dei cultu inhærentes.*

ANNOTATIO.

Omnia fere hæc verba alios aliquando casus habẽt. Isocrates, θαυμάζω αὐτούς, *miror ipsos.* ἀναγκαῖον οὖν τὴν τοῦ κόσμου φύσιν γλίχεσθαι τὴν ὅλου διαμονήν. Philo. *necesse est naturam mundi cupere & velle vniuersi incolumitatem.* ἃ γὰρ ἐπιθυμεῖ ψυχὴ καὶ πιστεύειν φιλεῖ, *quæ animus cupit, etiam credere solet.* Heliodorus. Sic ποθεῖν καὶ ἐπιποθεῖν, accusatiuum regunt. Lucian. μηδὲν ἐπιπόθει τῶν κακῶν, *nihil mali concupiscas.*

Est autem diligenter obseruandum, quæ & qualia verba appetendi, amandi, &c. iunxerunt auctores cum genitiuo, ab iisq; ne minimum quidem discedet, qui recte scribere aut loqui volet. Non enim omne verbum quod desiderium, verbi gratia, vel amorem significat, cũ genitiuo construitur, vt patet ex allatis exemplis; neque φιλέω, quia idem est quod amo, propterea genitiuum admittit.

Verba consequendi iunguntur interdum datiuo. Diodorus. ἐπιτυγχάνουσιν τοῖς πρώτοις ἐγχειρήμασι, *cum primi conatus successissent.*

Quædam etiam accusatiuum habent, κληρονομῶ χρήματα, *pecunias hæreditate consequor.*

Dicimus etiam ψεύδομαι τόδε, ὧδε, τῷδε, *fallor vel destituor hac re.*

Verba deniq; participandi nonnunquam iunguntur cum accusatiuo. Aristoph. οὐ γὰρ μετεῖχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοὶ, *non fuisti particeps tot plagarum atq; ego*, id est, *non accepisti tot plagas, quot ego.*

Latini videntur interdum has Græcorum constructiones imitari. Virgil.

Iustitiæ ne prius mirer belline laborum?

Idem:

Nec veterum memini lætorue laborum.

nisi quis subaudire velit, caussa vel gratia laborum.

Ad eandem normam dixisse putatur. Horat. lib. 2. Oda 13 Dulci laborum decipitur sono, quamuis nonnulli legant, laborem, sic fallor animi, fallor sermonis, apud Plautum & alios.

IV. Genitiuum habent verba, quæ curam, neglectum & contemptum significant. Item verba dominandi seu imperandi, copiæ, inopiæ, incipiendi, abstinendi, dimittendi, parcẽdi, distandi, differendi, excellendi, superandi & separandi.

(Quæ curam significant.)

Isocrat. πάντων ἐπιμελοῦ τῶν περὶ τὸν βίον, *cura omnia, quæ ad vitam pertinent.* εὔηθες τὰ οἰκεῖα αὐτοὺς προϊεμένους τῶν ἀλλοτρίων φάσκειν κήδεσθαι. Demosth. *Stultum est eos qui sua negligunt, dicere se alienare curare.* σοῦ δ᾽ οὐ φροντιῶ, Aristoph. *non curabo te.*

(Neglectum.)

Τῆς ἀληθείας ὀλιγωροῦσι. Hero. *veritatem negligunt.* ὠλιγώρουν τῶν κοινῶν. Isocrat. *negligebant Rempublicam.*

(Domi-

(Dominandi.)

Τῶν οἰκετῶν ἄρχειν. Iſocrat. *Imperare ſeruis.* δεσπόζουσι τῶν ἀνδρῶν αἱ γυναῖκες. Lucian. *viris imperant mulieres.*

(Copiæ & inopiæ.)

Χρημάτων ηὐπόρει. Demoſth. *pecuniis abundabat.* γέμω κακῶν. Eurip. *plenus ſum malis.* ἐνέπλησε τοσαύτης παρανομίας καὶ μανίας. Demoſth. *tanta iniquitate ac furore repleuit.* ἐμφορεῖσθαι τοῦ ἀκράτου. Lucia. *ingurgitari mero.* σπανίζουσι τῶν ἀναγκαίων. Halicar. *egent rebus neceſſariis.*

(Incipiendi & deſinendi.)

Ἄρχετε βωκολικᾶς ἀοιδᾶς. Theocr. *incipite muſam agreſtem.*

Λήγετε βωκολικᾶς ἀοιδᾶς. Idem, *deſinite modulari muſam agreſtem.*

(Abſtinendi.)

Ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι. Phocyl. *ab alienis abſtinere.*

(Dimittendi.)

Δεξιᾶς ἐμῆς μέθες. Eurip. *dimitte dextram meam.* τούτου μὴ μεθίεσθαι. Ariſtoph. *hunc non dimittere.*

(Parcendi.

Πλούτου μὴ φείδου. Phocyl. *diuitiis ne parcas.* Demoſth. παίδων φείδεσθαι πατρικὸς νόμος, *parcere liberis paterna Lex eſt.*

(Distandi.)

Demosth. ἀπεῖχε τῆς πόλεως στάδια τεσσαράκοντα, *aberat à ciuitate stadia quadraginta.*

(Differendi.)

Οὐδὲν τῶν κοράκων διαφέρουσιν. Lucian. *nihil differunt à coruis.*

(Excellendi.)

Προέχειν τῶν ἄλλων, Isocrates. *aliis antecellere.*

(Superandi.)

Κρατεῖν τῶν ἡδονῶν, Xenoph. *superare voluptates.* κρατεῖς ἁπάντων. Lucian. *omnibus imperas.*

(Separandi.)

Χωρίζεται τοῦ Θεοῦ. Chrysostom. *separatur à Deo.* Dionysius de situ orbis. Εὐρώπην Ἀσίης τάναϊς διὰ μέσσον ὁρίζει, *Tanais separat ab Asia Europam.*

ANNOTATIO.

Quædam ex prædictis verbis cum aliis interdum casibus constructa reperies, ἀεί τι φροντίζουσι, Lucian. *semper aliquid curant*, id est, *meditantur.* θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες Horatius. *Dei conspectum seu præsentiam nihil curãtes.* Idẽ μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε, *impera Myrmidonibus.* Fere enim apud Poëtas verba imperandi datiuum habent. Imitantur porro Latini interdum hos Græcos loquendi modos maxime Horat. vt lib. 3. Ode 30.

Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnauit populorum.

id est, ἐβασίλευσε, ἦρξε τῶν δήμων, Alii legunt, *Regnator populorum.*

Et lib. 2. Ode 6. *Desine mollium querelarum*, & lib. 3.

Ode

Ode 27. *Mox vbi luſit ſatis, abſtineto (dixit) irarū calidæque rixæ.*

Dominor iungunt Latini cum ablatiuo interuentu præpoſitionis (in) Cic 1. Tuſcul. *Vetat enim dominans ille in nobis Deus.* Admittit tamen interdum datiuum. Virg. *Hic domus AEneæ cunctis dominabitur oris.* niſi ſit ablatiuus ſine præpoſitione, vt ſit *cunctis oris*, pro, *in cunctis oris*. In ſacris literis Greca ſtructura fere ſemper eſt ab interprete Latino expreſſa. Pſ l. 9. πάντων τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ κατακυριεύσει, *omnium inimicorum ſuorum dominabitur.* Ib. ἐν τῷ αὐτὸν κατακυριεῦσαι τῶν πενήτων, *cum dominatus fuerit pauperum.* Etiam verba implendi genitiuo iungunt Latini.

Virg. *Implentur veteris Bacchi pinguiſq; farinæ.* Plaut. *Paraſitus qui me compleuit flagitii & formidinis.* Plura exempla vide apud Emmanuelem. Interpres ſacer. *Impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* ἐπλήσθη ὁ γάμος τῶν ἀνακειμένων, Matth. 22. Egeo genitiuum regit Græcorum imitatione. *Eget æris Cappadocum Rex.* Horat. & Terēt. *Tui carēdum.* ſic verbum copiæ. *Abundo* cum genitiuo. Lucil. *Quarum abundamus rerum.* ὧν εὐποροῦμεν. Lucret. teſte Seruio; *ſuperi viduatus luminis aër.*

V. Genitiuum habent verba arcendi ſeu prohibendi, liberandi, æſtimandi, emendi & vendendi, accuſandi, damnandi, abſoluendi, fruendi & concedendi.

(Arcendi ſeu prohibendi.)

Εἴργω πυρὸς καὶ ὕδατος. Plutarch. *interdico igne & aqua:* μή δέ μ' ἔρυκε μάχης. Homer. *ne me arceto à pugna.* Hinc verbum prohibendi iunxit cum genitiuo Silius Italicus,

captæ prohibere nequiret
Cum Pœnos aquilæ.

(Liberandi.)

Ρύσασθε λύμης, Apollonius, *liberate à calami-*

tate. Isocrat. ὑπομένομεν τομὰς ἰατρῶν, ἵν' ἀπαλλαγῶμεν πλειόνων ἀλγηδόνων, *toleramus medicorum sectiones, vt liberemur maioribus doloribus.* Φθόνου καθαρεύειν. S. Chrysostomus, *purgare seu liberare se ab inuidia.*

(Æstimandi & emendi.)

Πόσου δοκεῖ, τιμῶμαι; Synes. *quanti putas æstimo?* οὐκ ὠνούμην μυρίων δραχμῶν. Demosth. *non emo decies mille drachmis.* οὐκ ἂν πριαίμην οὐδ' ἂν ἰσχάδος. Aristophan. *non vna emerim carica.*

(Fruendi.)

Τί ἀπολαύσεις τῶν ὀρῶν, τί δ' ἂν ἀπόναιντο τοῦ σοῦ κάλλους αἱ βόες; Lucian. *Quid fructus capias ex montibus, & quid vtilitatis percipiant ex tua pulchritudine vaccæ?* ἀπόλαυε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν ὡς θνητός, *præsentibus bonis fruere vt mortalis.* Isocr.

(Accusandi, absoluendi, & concedendi.)

Κατηγορῶ Φιλίππου, Demosth. *accuso Philippum.* κατηγοροῦσί τινες ἡμῶν. Isocrat. *accusant nos aliqui.* ἀφεθεὶς τῶν ἐγκλημάτων. Demosth. *liberatus crimine.* ἀποψηφίζομαί σου. Arist. *Absoluo te.* παραχωρεῖ τῆς ἀρχῆς συνοίκῳ κρείττονι. Synesius. *præstantiori cedit de imperio.*

VI. Verba quædam sæpe regunt genitiuum ἐλλειπτικῶς deficiente ἕνεκα vel χάριν, ἀποδέχομαί σε τῆς προαιρέσεως, *probo te ob tuum propositum*

tum

tum. εὐδαιμονίζω σε τῆς ἀρετῆς, *felicẽ te prædico propter virtutem,* subauditur ἕνεκα vel χάριν.

Eurip. ἑλλάδος μάλιστ' ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω, *maxime gemo propter miseram Græciam.*

ANNOTATIO.

Huc referunt nonnulli illud Virgil.

Iustitiæ ne prius mirer, &c.

& illud Ouidii,

Successorumq; Mineruæ indoluit.

Et illud Senecæ *Regni Laius rapti furit*, id est gratia vel causa regni rapti. Et illud Horat. *Plorem artis in te nullum habentis exitum.*

VII. Interdum iunguntur verba genitiuis, præpositione deficiente, quæ genitiuum postulat, λύω σε τῶν δεσμάτων, *soluo te vinculis.* ἁρπάζω σε τοῦ πυρὸς, *rapio te ex igne,* ibi subauditur ἀπὸ, hic præpositio ἐκ.

VIII. Eandem ob causam enunciantur in genitiuo pars, & materia, & principium ortus seu causa efficiens. ἕλκει ῥινός. Lucian. *trahit te naso.* ἕλκει σε ποδὸς, τριχῶν. *trahit te pede, capillis.* πεποιημένον μυλίτου λίθου. Herod. *Factum ex molari lapide.* Idem, ἑνὸς λίθου πᾶν πεποιῆσθαι, *vno lapide totum esse factum.* διὸς πεφυκὼς, Euripid. *Ioue natus.* φὺς ἀγαθῶν πατέρων. Plato, *Bonis parentibus natus.* τελαμῶνος μὲν αἴας καὶ τεῦκρος ἐγεννήθη. Isocrat. *Telamone quidem natus est & Aiax Teucer.*

ANNOTATIO.

In his & similibus exemplis desiderari videtur præpositio ἐκ, vel alia; Et huc spectant etiam illa; ἔπιε τοῦ

κωνείου,

κωνείȣ, Lucian. *bibit cicutam.* ἔπιον τῆς βαφῆς, *tincturam biberunt.* πιόντες οἴνȣ, *bibentes de vino.* Idem φαγόντες ἐχίδνης *edentes de vipera*

IX. Interdum exprimitur materia in Datiuo. Homer.

Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται αἱ δ' ἐλέφαντι.

Alteræ enim cornibus fabricatæ sunt, alteræ ebore.

X. Multa deniq; verba regunt genitiuum vi præpositionis, cum qua sunt composita, ἀπωθεῖν τȣ̃ συμποσίȣ. Lucian. *repellere à conuiuio.* ἐκβαλῶ τῆς οἰκίας, *eiiciam domo.* Aristoph. ἀποπέμψομαι ὑμᾶς τȣ̃ συμποσίȣ. Lucian. *Eiiciam vos ex conuiuio.*

ANNOTATIO.

Hic ἀπωθεῖ, & futurum ἐκβαλῶ genitiuum habent, quia ἀπὸ & ἐκ, quibus constant, genitiuo iunguntur. Idipsum accidit nonnunquam in Latina Syntaxi. Hinc, *propugnat nugis*, pro, *pugnat pro nugis*, apud Horat.

Et, *Neu quid medios intercinat actus.*

& apud Ciceronem, Off. 2.

arbitrum illum adegit.

Quibus locis verba vi præpositionis cum qua componuntur, casum regunt.

DATIVVS POST VERBVM.

I. Verba quæ commodum, incommodum, auxilium, opem, fauorem aut adulationem significant, datiuum habẽt, sicut apud Latinos.

(Commodum, & incommodum.)

Λυσιτελεῖ τῇ πόλει. Isocr. *prodest ciuitati.* συμφέρει τῷ λέγοντι. Isocrat. *prodest dicenti*, λυμαίνο-

μῆ τοῖς ὅλοις. Demosthen. *noceo Reipublicæ.*

(Auxilium & adulationem.)

Βοηθεῖν αὐτοῖς. Demosth. *auxiliari ipsis.* ἧκον ἡμῖν ἀμύνοντες, *venerunt nobis auxilio.* Isocrat. οὐ ῥᾴδιον εὐνοεῖν τοῖς κακονόοις. Demosth. *non est facile fauere malignis.* ὅπως τοῖς πλουσίοις κολακεύωσι. Plutarch. *vt blandiantur diuitibus.*

EXCEPTIO.

Verba commodi & incommodi, opis & auxilij, & adulationis regunt accusatiuũ frequẽter apud Græcos. Demosth. τὸν βουλόμενον εὐποιεῖν ἡμᾶς ἐάσωμεν, *sinamus nobis illum, qui vult benefacere.* τοὺς εὐποιοῦντας ἡ πόλις ἀντευπεποίηκε. Demosth. *ciuitas bene de se merentibus vicissim benefecit.* Μενέλεων εὐεργετεῖς κἀμέ. Eurip. *Menelao benefacis & mihi.* δρᾶσαι δ' οὐδὲν ἡμᾶς εὖ. Euripid. *nobis nihil boni facis.* ἴσα ἐργάσεταί σε, οἷα καὶ σὺ ἔδρασας τὸν κρόνον. Lucian. *Idem tibi faciet, quod tu fecisti Saturno.* Cum Datiuo legitur Lucæ 6. καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς. *benefacite iis, qui vos oderunt.* sic dicimus, κακῶς ποιεῖν τινα, seu κακοποιεῖν, *malefacere alicui.* His adde verbum βλάπτω, *noceo,* ἐμὲ μὲν οὐδὲν βλάψει μέλιτος. Plato, *nihil mihi nocebit Melitus.* οὐκ ἐμὲ μείζω βλάψετε ἢ ὑμᾶς αὐτούς. Plato, *non magis mihi, quam vobis nocebitis.* λυμαίνεσθαι τὴν πόλιν. Demosthenes, *nocere ciuitati.* μηδένα τῶν ἀνθρώπων κολακεύειν ἕνεκα μισθοῦ. Xenoph. *nulli hominum adulari mer-*

cedis caussa. οὐ πολύσε ὀνήσῃ ἡ ἀθανασία. Lucian. *non multum tibi proderit immortalitas.*

ANNOTATIO.

Reperitur itidem apud Latinos; *Noceo te, adulor te*, Græcorum imitatione. Cæterum verba alia datiuo iungi solita, Græcisq; cum Latinis communia, prætereo, cuiusmodi sunt verba tribuendi seu attribuēdi, promittendi & minandi, credendi & diffidendi, obsequendi & repugnandi, appropinquandi, seruiendi & ministrandi, inuidendi, insidiandi, nunciandi, conueniendi seu congruendi, suadendi & similia. Itemq; verbum εἰμὶ quod modo vnum, modo duos datiuos habet. τί γάρ δεῖ με ζῆν, ᾧ πατὴρ ἦν μὲν ἄναξ φρυγῶν ἁπάντων. Eurip. *Quid enim me oportet viuere cui pater erat Rex omnium Phrygum?*

Ἀλλ' ὅρα εἴ σοι βουλομένῳ εἴη ἃ λέγω Plato. *vide num tibi probentur, quæ dico.*

II. Datiuum habent verba pugnandi, sequendi, adorandi, precandi, hortandi, iubendi, occurrendi, incidendi, adeundi, conuersandi, vtendi, reprehendendi.

(Pugnandi & sequendi.)

Οὐ μάχομαί σοι. Aristoph. *non pugno tecum.* οὐκ ἄν μοι ἐρίσσεν. Homer. *non contendet mecum.* αἰσχρῶς ἀκολουθοῦσιν ἑτέροις. Demosth. *turpiter sequuntur alios.* ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς ἕπεται γνώμη τε καὶ αἰδώς. Theog. *viros bonos sequitur mens & verecundia.*

(Adorandi & precandi.)

Προσκυνεῖν τῷ θεῷ. Demosth. *adorare Deum.* θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις. Demosth. *omnes Deos & Deas precor.* θεοῖς ἀρᾶται. Sophoc. *precatur Deos.*

(Hor-

(Hortandi, iubendi, & occurrendi.)

Τῷ Νέστορι τὸ δέον παραινέσειας ἄν. Lucian. *Etiam Nestorem admonere posses, quid facto opus esset.* τοῖς ἄλλοις παρεκελεύοντο. Xenophon. *alios adhortabantur.* φίλῳ ἐκέλευσεν ἑταίρῳ. Homer. *mãdauit fido socio.* ἀντήσας σοι, Sophoc. *cum tibi occurrisset.* λῃσταῖς περιέπεσε. Luc. 10. *incidit in latrones.* τῷ θεῷ προσιόντας. S. Chrysost. *ad Deum accedentes.*

(Conuersandi & vtendi.)

Menand. σοφοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ σοφός·
κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Si cum sapientibus versaris, etiam ipse eris sapiens:
Si cum malis versaris, etiam ipse malus eris.

ἐχρήσατο φιλανθρώπως πᾶσι. Plutarch. *humaniter tractauit omnes.* Isocr. μηδένα φίλον ποιοῦ πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις, *neminem tibi adiungas amicum, priusquam exploraueris quomodo prioribus amicis vsus sit.*

(Reprehendendi.)

Isocrat. θυμουμένοις μὲν φίλοις εἴκειν δεῖ, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττειν, *iratis amicis cedendum est, sedata ira reprehendendi sunt.*

EXCEPTIO.

Ex his verbis construuntur nonnulla, sed minus frequenter, cum aliis casibus, οὐδεὶς μέμφεται τὴν πόλιν. Demosth. *nullus reprehendit ciuitatem*

tatem. παρακαλεῖν ἀλλήλους. Iſocrat. *hortari ſe mutuo.* Reperitur etiam apud Demoſthenem, προσκυνεῖν τὸν θεὸν, *adorare Deum.* Et: θνητὸν ἄνδρα προσκυνεῖν. *mortalem hominem adorare.*

Verbum νικάω accuſatiuum habet. νικῶ σε, *vinco te.* Lucian. Quamuis κρατῶ, vt ſupra diximus, etiam genitiuum habet.

Μιμέομαι, *imitor,* itidem cum accuſatiuo copulatur, μιμεῖσθαι τὰς ἐκείνων πράξεις. Iſocrat. *illorum res geſtas imitari.*

ANNOTATIO.

Verba quæ hac ſecunda regula ſumus complexi, iungunt Latini nonnunquam cum datiuo per helleniſmū. Virgil.

Montibus in noſtris ſolus tibi certet Amyntas.

Idem. *Placidone etiam pugnabis amori?*

Lucret. *Quid enim contendat hirūdo cycnis?* & alias ſæpe.

III. Multa verba datiuum habent vi præpoſitionis ex qua cōponūtur, cuiuſmodi præpoſitiones potiſſimum ſunt, σὺν, ἀντὶ, ἐπὶ, παρὰ, πρὸς, ἐν, ὑπό. S. Chryſoſtom. τῇ ἐσχάτῃ πενίᾳ συνέζη, *extreme pauper erat.* Ad verbum, *extremæ paupertati conuiuebat.* συμπαίζειν τοῖς ἡλικιώταις, *paribus colludere.* τούτοις ἀντιλέγων. Xenophō, *his contradicens.* ἐπιχειρεῖν τῷ ἔργῳ. Plut. *rem aggredi.* τούτῳ παρέστης. *huic aſtitiſti.* ἐπιγελᾶν τινι, προσγελᾶν, καὶ προσμειδιᾶν, *alicui arridere.*

Quamuis ἐπιγελᾶν ſit etiam *irridere*, Iſocrat. ἀτυχοῦντι μὴ ἐπιγέλα, *miſero ne illuſeris.* προσπίπτειν σοι νόμιζε ταύτην τὴν πόλιν. Demoſthen. *putes hanc tibi ciuitatem accidere,* i.e. *accidere ad ge-*

ad genua ἐμμένειν ταῖς συνθήκαις, *manere dictis, pactis*, passim apud Isocratem. ὑπῆλθε χρυσῷ ὕδατι. Lucian. *subit aurum, aquam.*

ANNOTATIO.

Apud Latinos multa ex verbis neutris datiuum admittunt propter præpositiones ad, con, in, & similes, vt docet Emmanuel. Hinc *immori studiis & impallescere, colludere paribus, concurrere armatis*, & alia huius generis.

ACCVSATIVVS POST Verbum.

I. Plurima verba actionem significantia regunt accusatiuum, ἀδικεῖν τοὺς φίλους, *amicos iniuria afficere.* πίνειν οἶνον, *bibere vinum.* ἐσθίειν κρέα, *edere carnes.*

ANNOTATIO.

Nomine verborum actionem significantium intelligi volumus non tantum verba actiua, sed etiam communia, deponentia & neutra; nam & hæc interdum actionem significant, vt recte docet Emmanuel, nisi forte φιλεῖν, *amare*, magis sit actio quam μάχεσθαι, *pugnare*, βιάζεσθαι, *cogere, vi adigere*, βούλεσθαι, *velle.*

Non est autem dictum in regula, omnia verba actionem significantia poscere accusatiuũ, sed plurima; quia de omnibus id minime affirmari potest, nisi quis cõtendat nulla verba quæ superius cum genitiuo & datiuo iungi diximus, significare actionem.

II. Apud Græcos non tantum actiuum, sed verbum etiam passiuum coniungi potest cum accusatiuo nominis à se deducti. δίκην δικάζω, *iudicium iudico.* δεῖπνον δειπνῶ, *cœnam cœno*, ὕβριν ὑβρίζω, *iniuriam facio.* δῶρον ἐδωρήσω. Hesiod.

ſiod. *donum donarunt.* ἐπιτρέπω σοὶ ἐπιτροπὴν, *committo tibi curationem aliquam.* ἐπιτρέπομαι ἐπιτροπὴν, *committitur mihi curatio aliqua.* ὑβρίζομαι ὕβριν, *iniuria aliqua afficior.*

III. Interdum ponitur verbale in datiuo; χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet.* ἁμαρτάνει ἁμαρτήματι, *peccat peccato.*

ANNOTATIO.

Idem Latinis vſitatum eſt, ſi non in paſſiuis, at ſaltem in aliis. Hinc *furere furorem, cantare cantilenam, viuere vitam, & alia huiuſmodi.*

IV. Accuſatiuum habent verba reuerendi, αἰσχύνομαι, σέβομαι, τιμῶ, αἰδέομαι: orandi, vt λιτανεύω, ἱκετεύω, *ſupplico,* ἀντιβολῶ, *oro,* ἐκλιπαρῶ, ἀξιόω. ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι φλαῦρον. Demoſth. *reuereor,* id eſt, *pudet me apud vos de illa aliquid mali dicere.* αἰδέομαι Τρῶας. Hō. *reuereor Troianos.* τίμα τὸ δαιμόνιον. Iſocrat. ἀξιῶ ὑμᾶς. Demoſth. *rogo vos.* ἀντιβολῶ τοὺς δικαστάς. *rogo iudices.* ἱκετεύουσι τὰς γυναῖκας. Plutarch. *ſupplicant mulieribus.*

Prædictis adde verba miſerendi, ἐλεῶ, οἰκτείρω, κατοικτείρω, οἰκτίζομαι, οἰκτείρω τὴν τύχην. Lucian. *miſeret me calamitatis,* ἐλέησόν με θεὸς, *miſerere mei Deus.* Pſ. 50. 55. 56.

Εὔχομαι cum precari ſignificat, datiuum regit. εὔχομαι τῷ θεῷ, *oro Deum.* Quando idem eſt quod vouere, accuſatiuum petit. εὔχομαι θυσίαν, *voueo ſacrificium.*

V. Multa verba habent accuſatiuum per ellipſin

lipsin alicuius præpositionis, ἀλγέω, τὰν κεφαλὰν, Theocrit. *doleo caput*, abest, κατά.

VERBA EADEM IN CASV diuerso.

Licet ex his, quæ hactenus diximus, perspicuum sit multa verba cum casu diuerso copulari, hic tamen breuiter singulatim quædam notanda sunt.

I. Verba memoriæ & obliuionis modo genitiuum, modo accusatiuum habent, sicut apud Latinos. τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων οὐχὶ μέμνηται. Demosth. *rerum gestarum non meminit*. μνῆσαι πατρὸς σεῖο. Homer. *memento patris tui*. μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγώ. Homer. *memini hoc factum*. ὅταν τὰς λύπας ἀναμνησθῶμεν. Isocr. *quando recordamur dolores*. ἀναμνησθέντες φοβεροῦ τινος ὠχριάσαμεν, *recordati alicuius rei formidandæ expallescimus*. οὐκ ἀμνημονῶν οὔτ' ἐκείνων. Isocr. *neque illorum ero immemor*. οὔτε ἀμνημονεῖ τοὺς λόγους οὔτε τὰς ὑποσχέσεις. Demost. *neque obliuiscitur sermones, neque promissiones*. τοῦ δ' οὐκ ἐπιλήσομαι. Homerus *huius non obliuiscar*. ab ἐπιλανθάνω. εἴ τίς τι ἐπιλελησμένος εἴη, Xenoph. *si quis quid oblitus esset*.

II. Verbum ἀπολαύω, *fruor seu potior*, nunc genitiuum, nunc accusatiuum regit. Plato, καὶ μέν τοι καὶ τούτων ἀπέλαυον, *& sane his quoque potitus sum*. ἀγαθὸν γὰρ ἀπέλαυσ' αὐτοῦ οὐδὲν πώποτε. Aristop. *nihil boni vnquam ab eo accepi*.

III. Huc præter verba sensuum, & alia de quibus passim supra, spectant etiam hæc, ὄζω μύρου. Aristoph. *oleo vnguentum*. ἔπι γλυφάνοιο ποτόσδον. Theocr. *recens factum*. & ὄζω μύρον, πνέει

θυμὸν, καὶ πνέει θυμοῦ, *spirat iram.* ἐμποδίζω σε, καὶ σου, *impedio te.* & ſic de aliis. πειράζω σε καὶ σου, *tento te.* ἐπειδὴ τάχιστα συνῆκε τὸ κρεῖττον. Lucian. *ſimul atq; intellexit quod erat melius.* συνεὶς Βροῦτος τὸ πεπραγμένον. Plutarch. *cum Brutus intellexiſſet, quod factum erat.*

IV. Genitiuum, datiuum & accuſatiuum habet μέμφομαι, *reprehendo*, ὧν οὐδεὶς ἐμέμψατο, Thucyd. *quæ nemo vituperauit.* Exempla datiui & accuſatiui attulimus ſupra.

V. Quædam verba diuerſis caſibus iuncta mutant ſignificationẽ, πατρὶ τιμωρῶν, Herod. *illatam patri iniuriam vindicans.* τιμωρεῖσθαι λῃστάς. Demoſth. *punire latrones.* δεῖ τῷ Θεῷ θαῤῥεῖν. Theodor. *oportet Deo confidere.* οὔτε ὁ Φίλιππος ἐθάῤῥει τούτους. Demoſth. *neq; Philippus audebat hos aggredi.* ἐκδικῶ σοι, *iniuriam tibi factam vlciſcor.* ἐκδικῶ σε, *punio te.* ἀμύνονται σφίσιν αὐτοῖς. Thucyd. *defendunt ſeipſos* ἠμύνατο τοὺς πολεμίους. Plutarch. *propulſabat hoſtes.* διαφέρει αὐτοῦ, *differt ab ipſo.* διαφέρει αὐτῷ, *eius intereſt, refert.*

CAPVT XI.

DE CONSTRVCTIONE INTRANSITIVA VERBORVM, QVÆ plures ſimul habent caſus.

TRadidimus hactenus præcepta de verbis, quæ vel vnũ caſum habent, vel etiam diuerſos, ſed non ſimul

muliunctos, neq; se mutuo in oratione sequentes. Restat vt nunc paucas præceptiones præscribamus de verbis, quæ casus diuersos simul iunctos & ex se mutuo nexos admittunt.

GENITIVVS CVM ACCVsatiuo.

I. Verba accusandi, absoluendi, damnandi preter accusatiuum admittunt genitiuum, qui pœnam crimenue certum aut incertum significet, ἐγὼ γὰρ αἰσχίνην οὐδενὸς αἰτιῶμαι τῶν ἐν πολέμῳ πραχθέντων. Demosth. *ego enim AEschinem nullius eorum accuso, quæ in bello gesta sunt.*

Καταγινώσκω σε φόνου. Lys. *contemno te cædis.* γράφομαί τινα μοιχείας. Lucian. *accuso aliquam adulterii.* ἀφίημί σε τῶν ἐγκλημάτων. Demosth. *absoluo te criminibus.* τοὺς κατηγορηθέντας ἀπολύσαντες τῆς ἐπενεχθείσης αὐτοῖς διαβολῆς. Polyb. *accusatos liberarunt impacto crimine.* ἀφίεμέν σε τῆς αἰτίας. Lucian. *absoluimus te crimine.*

EXCEPTIONES.

I. Accusatiuum personæ mutant aliquando Græci in genitiuum, & genitiuum rei vel criminis in accusatiuum; κατηγορῶ πολλὴν ἄνοιαν αὐτοῦ. Lucian. *accuso multam eius imprudentiam.* sic καταγινώσκω σου ἀμαθίαν ἢ κακίαν, *condemno tuam inscitiam vel malitiam.* τὸ μὲν τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε. Isocr. *fatum decreuit omnibus mortem.* πάνθ' ἃ τῶν ἄλλων κατηγορεῖ, αὐτὸς ἐποίησε. Demosthen. *omnia illa fecit, quæ in aliis accusat.*

II. Interdum ponitur in genitiuo tam persona quam crimen, κατηγορῶ σου ἁπάντων τῶν πεττάρων. Æschin. *accuso te de omnibus quatuor.* εἰ μὲν οὖν παρανόμων ἢ παραπρεσβείας ἢ τινὸς ἄλλης τοιαύτης αἰτίας ἔμελλον αὐτοῦ κατηγορεῖν. Demosth. *quod si vel violatarum legum vel falsæ legationis vel alterius idgenus cuiusdam criminis illum accusaturus essem.*

III. Aliquando ponitur tam persona quam crimen in accusatiuo, αἰτιῶμαί σε τόδε. Demosth. *accuso te huius.*

IV. In quibusdam effertur persona aut res in datiuo, ἐγκαλῶ σοι τούτου vel τοῦτο. Demosth. *accuso te huius criminis.* μηδὲν ἐγκαλεῖτε αὐτῷ. Demosth. *non accusatis illum.*

V. Aliquando additur præpositio, manente vel mutato genitiuo, διώκω σε περὶ θανάτου. Xenoph. *accuso te de capite.* οὗτον πεφυγαδεῦσθαι ἔλεγον ἁλόντας ἐπὶ στάσεσι καὶ πολλοῖς ἁμαρτήμασι, pro στάσεων καὶ πολλῶν ἁμαρτημάτων. Herodot. *hunc in exilium actum dicebant de seditionibus multisq; criminibus conuictum.* ἀφίεσθαι ὑπό τινος καὶ ἀπαλλάττεσθαι. Demosthenes, *absolui ab aliquo & crimine liberari.*

VI. Genitiuus criminis transit aliquando eleganter in participium, ἀσεβῶν οὕτως ἑάλωκε, pro ἀσεβείας, *impietatis damnatus est.* sic ἑάλω κλέπτων, pro ἑάλω κλοπῆς. *in furto deprehensus est.*

VII. Verba æstimandi, vendendi, emendi, permutandi, implendi, priuandi, liberandi, arcendi, satiandi, & similia, præter genitiuũ etiam

iam accusatiuum habent, quod in multis fit propter ellipsin particulæ ἕνεκα, vel χάριν, vel præpositionis διὰ, vel propter præpositionem cum qua componuntur.

(Æstimandi.)

Ἔστι τοίνυν ὑμῖν νυνὶ σκεπτέον, εἰ τοσούτου τιμᾶσθε τὴν πολιτείαν καὶ τοὺς κειμένους νόμους. Demosth. *vobis itaq; considerandum est vtrum tanti faciatis Rempublicam, legesq; latas.* πολλοῦ τὴν ἡμετέραν τιμώμενος φιλίαν. S. Chrysost. *magni nostram amicitiam æstimans.* μείζονος δῶρα αὐτὰ τιμῶνται οἱ λαμβάνοντες: Xenoph. *dona illa pluris æstimant qui accipiunt.*

(Vendendi & emendi.)

Πόσου τοῦτον ἀποκηρύττεις; δέκα μνῶν. Lucianus, *quanti istum vendis? Decem minis.* πρίασθαι ταλάντου ἐπιστάτην. Xenoph. *talento emere præfectum.* οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. Demosth. *non emo decies mille drachmis pœnitentiam.* πολλοὶ σύμπασαν ἀρετὴν καὶ εὐδαιμονίαν ὀλίγου πωλοῦσι. Isocrat. *Multi omnem virtutem & felicitatem paruo vendunt.* sic δέομαί σου τοῦτο. Aristoph. *hoc abs te pero.* ἀπέλαυσ' αὐτοῦ ἀγαθὸν οὐδέν. Aristoph. *nihil boni ab illo accepi.*

(Permutandi.)

Homer. τεύχε' ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, *arma permutauit aurea æreis.* ἀλλάττειν χρυσοῦ ἀργύριον, *permutare auro argentum.* ἀναμιμνήσκειν ὑμᾶς

τῶν γενομένων κακῶν. Andocid. *reuocare vobis in memoriam præterita mala.* εὐδαιμονίσας Φίλιππον τῆς τύχης, id est, ἕνεκα, Demosth. *Philippum ob fortunam beatum prædicans.* προτιμᾷν τὴν δικαιοσύνην τῆς βασιλείας. Plutarch. *Iustitiam regno præferre.*

ANNOTATIO.

Verba, magnifacere, pluris facere, nihili facere, fere circumloquuntur Græci cum Genitiuo addita præpositione, περὶ: περὶ πλείονος ποίει δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν. Isocrat. *pluris fac gloriam quam magnas opes.* τοὺς νοῦν ἔχοντας περὶ πολλοῦ ποιοῦ καὶ θεράπευε. Isocrat. *sapientes magnifacito & cole.* περὶ ὀλίγου ποιεῖν, *paruifacere,* περὶ οὐδενὸς ποιεῖν, *nihilifacere,* περὶ πλείστου, *maximi.* περὶ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην, Isocrat. *magni facerem.*

Sunt porro nonnulli qui proprias regulas præscribant de verbis genitiuum & accusatiuum, vel genitiuum & datiuum habentibus, & rursum alias de verbis quæ regunt accusatiuum & genitiuum, vel datiuum & genitiuum, quasi vero non sit eadem constructio si dicam, δέομαί σου τοῦτο. τοῦτο δέομαί σου, δέομαι τοῦτό σου Vel οὐ μέλει μοι γύγαο, vel οὐ μοι μέλει γύγαο, non est mihi curæ Gyges.

GENITIVVS CVM DATIVO.

I. Multa verba genitiuum & datiuum postulant. ἵνα δὴ μετέχῃ τῶν πραγμάτων αὐτοῖς. Plato, *vt cum ipsis factorum particeps esset.* τοῦ βάρους μεταδιδόναι τοῖς φίλοις δεῖ. Xenoph. *molestiam cum amicis communicare oportet.* οὐ μοι μέλει γύγαο. Anacreon. *non est mihi cura Gyges.* ἀμφισβητῶ σοι τοῦ χωρίου. Plutarch. *contendo tecum de prædio.* εἴ τι μέλει τῶν ἀνθρώπων τοῖς θεοῖς. Demosth. *si quæ Diis rerum humanarum cura est.* διαφέρει μοι τούτου. Plato, *hoc mea interest.*

ANNOTATIO.

Dicimus etiam, διαφέρει μοι τοῦτο, *hoc mea interest*, τί σοι τοῦτο διαφέρει; Plato, *quid hoc tua refert?* ᾧ ἐκείνους σωθῆναι μάλιστα διέφερεν. Demosthenes, *cuius multum intererat, ut illi seruarentur.*

DATIVVS CVM ACCVsatiuo.

I. Verba dandi, reddendi, committendi, promittendi, sicut apud Latinos, ita apud Græcos datiuum cum accusatiuo poscunt. Neq; opus est exemplis.

II. Verba anteponendi & postponendi fere præter accusatiuum genitiuum habent propter præpositiones, vt προτιμᾶν, προαιρεῖσθαι, προτάττειν, προκρίνειν, *anteponere, præferre.* τὸν ἐπιεικῆ προτιμᾶν τοῦ πλουσίου. Plutarch. *virum modestum præferre diuiti.*

ANNOTATIO.

Multa alia verba datiuum cum accusatiuo, vel hunc cum illo habent, quæ vsu & lectione notabis. Neq; enim omnia regulis comprehendi possunt. συνειδὼς αὐτῷ πολλὰ καὶ πονηρά. Xenoph. *qui multorum sibi malorum conscius est.* διαλλάττει τὰς πόλεις ἀλλήλαις. Plutarch. *conciliat inter se ciuitates.* Et eadem erit Syntaxis si dicas: διαλλάττει ἀλλήλαις τὰς πόλεις, vel ἀλλήλαις διαλλάττει τὰς πόλεις.

III. Nonnunquam ponitur accusatiuus cum datiuo per ellipsin præpositionis κατὰ, vel διὰ, vel alterius. Xenoph. τοῖς φίλοις τὰ δίκαια βοηθεῖν, *amicis subuenire in rebus iustis.*

GEMINI CASVS CVM EODEM verbo.

I. Quædam verba geminum habent genitiuum, κατηγορῶ σου ἁπάντων τῶν τεττάρων. Æſchin. accuſo de te omnibus quatuor rebus.

II. Quædam geminum datiuum habent, σαυτῷ συνῄδεις ἀδικοῦντι. Demoſth. conſcius tibi eras te iniuſte facere.

III. Alia duplicem habent accuſatiuum, cuiuſmodi ſunt verba celandi, docendi, rogandi, monendi, petendi, veſtiendi. τὴν θυγατέρα ἔκρυπτε τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρός. Lyſias. celauit filiam mortem viri. διδάσκω σε γραμματικήν, doceo te Grammaticam. σχεδὸν τὰ αὐτά με ἤρετο. Lucian. fere eadem me interrogauit. ἀναμνήσω ὑμᾶς τὰ τούτῳ πεπραγμένα. Plato. admonebo vos illorum, quæ hic geſſit. ὑπομνῆσαι τοὺς χρόνους ὑμᾶς, καὶ τὸν καιρὸν ἀνάγκη. Demoſthenes, neceſſe eſt admonere vos temporum illorum & occaſionis. τέλη τοὺς παραπλέοντας ἐξέλεγον. Æſchyn. tributa à præternauigantibus exigebant. ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν χλαμύδα, καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Matth. 27. exuerunt eum chlamyde ſeu chlamydem, & induerunt eum veſtimentis ſeu veſtimenta ſua.

ANNOTATIO.

Nam ſacer interpres Græcam ſtructuram retinuit, quæ alias voce actiua apud Latinos non eſt vſitata, quãuis in paſſiua Virg.

Deinde comantem

An-

Androgei galeam clypeumq́; insigne decorum
Induitur.

Decimus etiam ἀποστερῶ σε τὰ χρήματα καὶ τῶν χρημάτων, *priuo te pecuniis.* Et sic de cæteris priuandi verbis. ποτίζω σε γάλα, καὶ γάλακτι, *poto te lacte.* Reliqua vsus docebit.

CAPVT XII.
DE VERBIS IMPERSONALIBUS.

I.

IMpersonalia fere sequuntur constructionem suorum personalium, & interdum quidem genitiuum habent, δεῖ τῶν χρημάτων. Demosth. *opus est pecuniis.*

Ὅταν δ᾽ ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων; Eurip. *quid opus est amicis, si Deus res secundas mittat?*

II. Interdum habent genitiuum & datiuum simul. μέλει μοι τούτου, *hoc est mihi curæ.* οὐδὲν δεῖ μοι πολέμου καὶ μάχης, *non opus est mihi bello & pugna.* διαφέρει μοι τούτου. Plato, *hoc mea refert,* μεταμέλει μοι τῆς ἁμαρτίας, *pœnitet me peccati.*

Et cum Accusatiuo. Aristoph. οἴομαί δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν, *puto fore, vt te horum pœniteat.*

III. Quædam tantum datiuum regunt, προσήκει μοι τοῦτο, *hoc mihi conuenit.* συμφέρει τῇ πόλει, *conducit ciuitati.*

IV. Coniunguntur etiam cum infinitiuis tam actiua quam passiua impersonalia, more Latinorum. φιλεῖ γίνεσθαι, *solet fieri,* δεῖ μανθάνειν, *oportet discere.*

CAPVT

CAPVT XIII.

DE CONSTRVCTIONE VERbi passiui.

I.

VErbum passiuum postulat genitiuum cũ præpositione ὑπὸ, παρὰ, πρὸς. ἐξηπάτηθε μὲν ὑμεῖς ὑπὸ Φιλίππου. Demosth. *decepti estis à Philippo.* πρὸς Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων τὰ εἰκότα τετίμηται, Lucian. *à Deo & hominibus honore debito affectus est.* τὰ παρὰ τῆς βουλῆς ὁμολογηθέντα. Halicarn. *concessa à Senatu.* σημαίνεσθαί τι παρὰ τοῦ Θεοῦ. Xenoph. *significare aliquid à Deo.*

II. Græci sæpe verbis neutris & aliis quamuis absolutis, pro passiuis vtuntur, eãdemq; constructionem illis tribuunt, τηνικαῦτα τηλικαύτῃ καὶ τοιαύτῃ συμφορᾷ περιπέπτωκεν ὑπὸ τούτου. Demosthenes, *tunc in tantam atq; talem calamitatem propter istum incidit.* ἀπέθανεν ὑπὸ τῆς γυναικὸς φαρμάκῳ. Lucian. *interfectus est ab vxore veneno.* ἐφ' οἷς δικαίως ἂν ἀποθάνοις ὑπὸ τῶν δικαστῶν. Demosth. *propter quæ merito occidaris à iudicibus.* ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. 1. ad Cor. 10. *perierunt à serpentibus.* ὑπὸ τοῦ δίσκου ἀπώλετο. Lucian. *periit à disco.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budæus, qui etiam notat Latinos hoc genus dicendi esse imitatos. Terentius. *Herus quantum video ab vxore excidit.* ἐκπέπτωκε, id est, *eiectus & exactus est.* Cicer. *Nihil esse valentius, à quo intereat.* Plin *periit ab Hannibale.*

Solent

Solent autem Græci sæpe verbis actiuæ vocis in passiua significatione vti, vt mirum non sit, si illis quoq; passiuam constructionem tribuant: ἀπαλλάττω, *liberor*, ἀπαλλάττω ὑπό σου: ἀναλαμβάνω, *recreor*: ἀνακάμπτω, *reflector*: ῥίπτω, *iactor*: ἀσκῶ, *exerceor*: κρύπτω, *occultor*: & alia multa.

III. Passiua interdum datiuum habent, ablata præpositione, πέπρακται ἐμοὶ, λέλεκται ἐμοὶ, pro ὑπ' ἐμοῦ, *factum est mihi, dictum est mihi*, pro *à me*.

IV. Passiua eundem accusatiuum, imo alios fere omnes casus suorum actiuorum retinent. ἐγχειρίζω σοι ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν, *committo tibi hanc curam*. ἐγχειρίζομαι ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν, *committitur mihi hæc cura*. κρίνεται, κατηγορεῖται κλοπῆς, *accusatur furti*. ἀπεστέρηται χρημάτων, γεγύμνωται τοῦ ἐσθῆτος, *priuatus est pecunia, nudatus vestibus*.

CAPVT XIV.

DE CONSTRVCTIONE COMMVni omnium verborum.

DATIVVS COMMVNIS CVM præpositione.

I. Propria pagorum, castellorum, vrbium, & omnia alia nomina; ponuntur in datiuo cum præpositione ἐν, post quoduis verbum, si interrogatio fiat per aduerbium ποῦ, *vbi*. διέτριψεν ὀλίγον χρόνον ἐν ῥώμῃ. Herodianus. *Exiguo tempore mora-*

moratus est Romæ. τῷ παιδὶ τάφον ἐχωσάμην ἐν ἀμύκλαις, Luc. *Pueri tumulum fodi Amyclis.* ποῦ ἐστι, *vbi est?* ἐν ἀγρῷ, *in agro, ruri, vel rure,* ἐν πόλει, *in vrbe.* ἐν ἀγορᾷ, *in foro,* ἐν οὐρανῷ, *in cœlo.*

II. Nomina vrbium, & aliorum locorum, ponuntur interdum in aduerbio. Vbi est? οἴκοι, *domi,* ἀθήνησι, *Athenis.*

III. Interdum omittitur præpositio. Thucyd. στήλας δὲ στῆσαι ὀλυμπιᾶσι καὶ πυθοῖ καὶ ἰσθμῷ, *colũnas esse erigendas Olympiæ apud Pytho & Isthmum.*

IV. Si interrogatio fiat per aduerbium ποῖ, *quo?* vtendum est accusatiuo cum præpositione εἰς vel ἐς, & hoc quotiescunq; motus ad locum significatur nomine proprio, siue appellatiuo. ἦλθον καὶ αὐτοὶ εἰς ἀθήνας. Thucyd. *venerunt & ipsi Athenas.* ἀφικνοῦμαι εἰς ῥώμην, *venio Romam.*

V. Accusatiuus mutatur nonnunquam in aduerbium. ἀφικνοῦμαι ἀθήναζε, *venio Athenas.*

VI. Interdum omittitur præpositio. Homerus ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ ἑλλήσποντον ἵκοντο, *postquam ad naues & Hellespontum venerunt.* πόλεμον δ' ἴεν, *iuit in militiam.* Homer. quamuis hic potius pro aduerbio ponatur.

GENITIVVS COMMVNIS CVM præpositione.

I. Si interrogatio fiat per aduerbium πόθεν, *vnde,* in genitiuo respondendum est cum præposi-

positione ἐκ vel ἐξ, & hoc quotiescunq; motus à loco significatur. ἐκ ῥώμης, *Roma*, ἐξ ἀγροῦ ἐπανέρχομαι, *rure redeo.*

II. Nomina locorum, per quæ motus fieri significatur, ponuntur in genitiuo cum præpositione διὰ. διὰ τῆς θαλάττης, *per mare*, διὰ τῆς ἑλλάδος, *per Græciam*

III. Genitiuus mutatur nonnunquam in aduerbium, ἀθήνηθεν, *Athenis*, οἴκοθεν, *domo*, ἀγρόθεν, *ex agro.*

CONSTRVCTIO TEMPORIS.

I. Tempus accusatiuo efferimus, si interrogatio fiat per πόσον χρόνον, *quanto tempore*, seu *quamdiu*, quod fit quotiescunq, tempus continuum significamus. Demosth. οἱ χρηστοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας, *boni isti Legati tres integros menses consederunt in Macedonia.*

II. Aliquando additur accusatiuo præpositio. ἐπί τινας ἡμέρας ἡσυχίαν εἶχον. Diodor. *aliquot dies quieuerunt.*

III. Sæpe effertur tempus in genitiuo, πέντε ὅλων ἐτέων λαλέειν μηδὲν. Lucian. *Quinq; integris annis nihil loqui.* πολλοῦ γὰρ αὐτοὺς οὐχ ἑώρακα χρόνου. Aristoph. *longo enim tempore illos non vidi.*

IV. Interdum adhibetur datiuus. σεβῆρος ἐβασίλευσεν ὀκτωκαίδεκα ἔτεσι. Herodian. *Seuerus regnauit octodecim annis.* εἴκοσιν ὅλοις ἔτεσιν ἀποδημήσας, *viginti annis peregrinatus.*

V. Habet hic datiuus nonnunquam præ-

posi-

positionem, παμπλείστοις ἐν ἔτεσιν, *plurimis annis.*

VI. Quod si interrogatio fiat per aduerbium πότε, *quando*, in genitiuo respondebimus, κοιμήσομαι τῆς νυκτός. Lucian. *dormiam noctu.* μέτεισι οὐ μακροῦ χρόνου. Sophoc. *aderit non longo post tēpore.* νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐργάζεται, *laborat dies & noctes.*

VII. Adhibetur non raro datiuus. τῇ αὐτῇ δὲ ἡμέρᾳ αὐτοῖς ξυνέβη, Thucyd. *eadē autem die ipsis accidit.* ὑστέρῳ χρόνῳ ἐπὶ Τροίαν ἐστράτευσαν. Thucyd. *posteriori tempore expeditionem susceperunt contra Troiam.*

VIII. Aliquando vtuntur auctores accusatiuo, vt in hac Aristotelis quæstione vides. διὰ τί τὸν μὲν χειμῶνα πρωὶ ἀπὸ τῆς ἕω πνεύματα πνεῖ, τὸ δὲ θέρος, δείλης καὶ ἀπὸ δυσμῶν, *quare hyeme quidem venti ab oriente spirant mane; æstate vero circa crepusculum, seu vesperi ab occidente.* In qua sententia posuit, χειμῶνα & θέρος in accusandi casu, δείλης vero in genitiuo. κατέπλευσαν δεῦρο τρίτον ἔτος. Demosth. *Nauigarunt huc tertium abhinc annum.*

ANNOTATIO.

Videtur subintelligenda esse præpositio κατὰ, cū ad πότε respondetur per accusatiuum, κατὰ τὸ θέρος, κατὰ τὸν χειμῶνα, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον. Nam interdum expresse additur præpositio, ἐν μηνὶ τῷ ἕκτῳ, *in mense sexto*, Luc. 1. & passim alias. Putant aliqui etiam in illis, νυκτὸς, *noctu.* ἑσπέρας, *vesperi.* μεσημβρίας, *meridie.* νυκτῶν μέσων, *media nocte.* subintelligi præpositionem ἐπί.

GENITIVVS ABSOLVTVS.

I. Quæ Latini in ablatiuo abſoluto enunciant, hæc efferunt Græci in genitiuo. Homer. οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, *nullus me viuente ſuperq́ terram vidente.* γινομένης ἐκκλησίας. Demoſth. *conuocata concione.* τοσούτων ὄντων καὶ τῶν ἰδιωτῶν καὶ τῶν ἀρχόντων, Iſocr. *Cum tot ſint priuati & magiſtratus.*

II. Aliquando loco genitiui ponitur datiuus abſolute. παρελόντι τῷ ἐνιαυτῷ φαίνουσι πάλιν φρουρὰν Xenoph. *Anno præterlapſo rurſum cuſtodiam decernunt.* μενόντων ἡμῶν ξύμμαχον γίγνεται. ὑποχωρήσασι δὲ, εὔπορον ἔσται, μηδενὸς κωλύοντος, pro ὑποχωρησάντων. Thucyd. *manentibus vero nobis, facile occupabitur ab hoſtibus, nemine vetante.*

III. Aliquando loco genitiui ponitur accuſatiuus abſolute, ὡς δὴ ἀκίνδυνον αὐτοῖς τὸ ἔργον ἐσόμενον, pro, ὡς ἀκινδύνου αὐτοῖς τοῦ ἔργου ἐσομένου. Halicarn. *quaſi res illis ſine periculo eſſet futura.* ὥσπερ οὐκ αὐτῷ χώραν τινὰ οὖσαν. Ariſt. *quaſi ei non eſſet aliqua regio, ſeu aliquis locus.*

ANNOTATIO.

Plerumq; addi ſolet ὡς vel ὥσπερ, cum accuſatiuus pro genitiuo abſolute ponitur. Ariſt. ὡς οὐχ ὁμοίως φύσει τῆς διαλέκτου οὔσης, καὶ τῆς φωνῆς, ἀλλ᾽ ἐνδεχόμενον πλάττεσθαι *quaſi non ſimilis ſint natura ſermo & oratio, ſed fingi & formari ea contingat,* ἐνδεχομένου, *dicendum erat.*

IV. Attici frequenter pro genitiuo abſo-

 ſoluto

luto vsurpant solum participium neutri generis, numeri singularis, in nominandi vel accusandi casu. δόξαν ἡ ἡμῖν ταῦτα, ἐπορευόμεθα. Plato, *cum hæc nobis visa & decreta essent, ibamus.* γεγραμμένον διαῤῥήδην ἐν τῇ συγγραφῇ. Demosth. *cum scriptum esset in syngrapha.* Sic μικροῦ δεῆσαν, pro, δεήσαντος, *cum parum abfuisset.* ἐξὸν αὐτῷ. *cum illi liceret.* ἐξὸν φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην, Plutarch. *cum licet fugere, ne quære iudicium.* ἀκουσθὲν αὐτῷ, *cum iam audisset*, δόξαν ἐμοὶ γράψαι, *cum scribere statuissem*, & similia multa.

V. Interdum ponitur solum participium reliquis casibus suppressis. ἐλθόντων δὲ, *venientibus vero*, subaudi ἀνθρώπων, *hominibus.*

DATIVVS INSTRVMENTI, Causæ, modi, Actionis.

I. Quæuis verba admittunt datiuum significantem instrumentum aut causam, propter quam aliquid fit, aut modum, quo aliquid fit κοσκίνῳ ὕδωρ ἀντλεῖν, *cribro haurire aquam.* δόρατι διαπεῖραι, *hasta confodere.* ξίφει κτείνειν, *gladio occidere.* προνοίᾳ πλεῖστα κατορθοῦνται. Thucyd. *plurima bene geruntur prouidentia.* ὄμμασιν ἀμβλώσσει. Nicand. *cæcutit oculis.*

II. Sicut apud Latinos nonnunquam additur præpositio *cum*, ita apud Græcos σὺν; σὺν πολλῇ σπουδῇ, *magna cum diligentia.*

ACCV-

ACCVSATIVVS COMMVNIS *spatii.*

I. Accusatiuum spatij vel mensuræ admittunt pleraq; verba, ποταμὸς ἀπεῖχε τῆς πόλεως, σημεῖα ἑκκαίδεκα. Herodianus, *fluuius ab vrbe aberat sexdecim milliaria.* ἀπέχει δὲ ἡ Πλαταία τῶν Θηβῶν σαδίους ἑβδομήκοντα. Thucyd. *abest Plataa Thebis septuaginta stadia.*

II. Spatium vel mensura ponitur nonnunquam in datiuo, διέχει ὁδῷ ἡμερῶν εἴκοσι, *abest via viginti dierum.*

CAPVT XV.

DE CONSTRVCTIONE MODORVM, PRÆSERTIM INFINITIUI.

CVm suæ cuiq; linguæ sint certæ loquendi formulæ, natiuiq; modi, quibus ab aliis secernitur, fit vt multa eleganter dicantur Græce, quæ non nisi inepte dicerentur Latine; quod cum in aliis passim, tum vero maxime in modis verborum contingit, vt ex sequentibus exemplis planum fiet.

I. Græci per indicatiuum multa efferunt, quæ nos per coniunctiuum. Arist. ἡ δὲ κάμηλος πίνει ἥδιον, θολερὸν καὶ παχὺ, οὐδ᾽ ἀπὸ τῶν ποταμῶν πρότερον ἢ συνταράξει, *camelus vero suauius bibit aquam turbidam & crassam, neq; prius è fluuiis bibit, quam conturbet seu conturbauerit.* παρ᾽ ἐμοὶ δὲ οὐδεὶς μισθοφορεῖ, ὅστις μὴ ἱκανός ἐστιν ἴσα ποιεῖν ἐμοί. Xenoph. *apud me nullus stipendia facit, qui non idoneus sit eadem atque ego facere.*

οὐδὲν γὰρ οὕτω βραχὺ ὅπλον ἑκάτερον εἶχον, ᾧ οὐκ ἐξικνοῦντο ἀλλήλων. Xenoph. *nulla enim arma tam breuia habuerunt, quibus se mutuo non sauciarent.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budæus. Et certe notabilis est hæc linguæ Græcæ à Latina discrepantia. Quam enim male dices Latine; *Nescio num venit, num fecit.* tam bene dices Græce; ἀγνοῶ εἰ ἦλθεν. οὐκ οἶδα εἰ ἐλήλυθε. οὐκ οἶδα, εἰ πεποίηκεν, εἰ ἐποίησε, οὐκ οἶδα, εἰ αὐτός ἐστι. ἀγνοῶ εἰ αὐτὸς ἔτυψεν ἐμὲ, εἰ ἐτύφθην ὑπ' αὐτοῦ. *Dubito num venturus sit,* ἀμφισβητῶ πότερον ἥξει, ἢ ἥξεται, *Aristoteles,* ἐπεὶ οὖν οὐκ ἔχουσι μόρια, οἷς περιλήψονται, ἀντὶ τούτων τῇ ὑγρότητι χρῶνται τοῦ σώματος, *cum non habeant partes, quibus se complectantur* (ad verbum, *complectuntur vel complectentur*) *harum loco vtuntur humiditate corporis.* Latine dicendum est; *Nescio quid fecerit.* Græcus dicet; οὐκ οἶδα τί πεποίηκεν, ἢ ἐποίησε. Seduli porro præceptoris erit in explicatione auctorum & has & alias Græcis proprias loquendi formas iuuentuti diligenter demonstrare, vt cum Græce scribendum & loquendum est, id non tantum faciant Græcis vocabulis, sed etiam Græco modo. Quomodo vero Græci indicatiuo vtantur tũ particula δυνητικῇ ἂν, dictum est iam in Grammatica, & infra cum de coniunctionibus præcipiemus, breuiter repetetur.

II. Sæpe Græci per enallagen indicatiuum pro optatiuo ponunt. οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ ἀθηναῖοι οὔτε ῥήτορα οὔτε στρατηγὸν δι' ὅτου δουλεύσουσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' οὔτε ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν. Demosthen. *non enim quærebant Athenienses Rhetorem vel Ducem, per quem feliciter seruirent, sed neq; viuere quidem volebant, si id illis cum libertate non liceret,* pro δου-

λεύσουν-

λαύσοιεν καὶ ἐξέσοιτο. Idem, χρῆν δὲ σιτοπομπείαν, ὅπως κομισθήσεται, περιιδέσθαι, *oportebat vero videre, quomodo frumentum conueheretur.*

IMPERATIVVS.

I. Imperatiuus postulat vocatiuum apud Græcos & Latinos. Est tamen quando Græci cum nominatiuo illum iungant. Lucian. οὗτος ὁ πυθαγορικὸς κατάβηθι καὶ πάρεχε ἑαυτὸν ἀναθεωρεῖν, *Tu vita Pythagorica descende, & te spectandum præbe.*

II. Vtuntur interdum Aoristo imperatiui pro futuro indicatiui. Menand. οἶδ᾽ ὅτι ποίησον, pro, ποιήσεις, *scio te facturum.* Eurip. οἶσθ᾽ οὖν ὃ δρᾶσον; pro δράσεις. *scis quid facturus sis?*

OPT*ATIVVS.*

I. Græci libenter loquuntur per optatiuum præcedentibus particulis ὅτι, ὥσπερ; ὃς, ὅσοι, ὅτε, & ὡς, ὡς εἴ τις ζητήσας καρπὸν πολὺν παρὰ τῆς Δημητρὸς, εἶτα τυχὼν ἄχθοιτο τῇ φορᾷ. Liban. *vt si quis copiosum fructum à Cerere petisset, postea cum impetrasset prouentui indignatus fuisset.*

II. Aliquando præponitur illi aduerbium optandi εἴθε, aliquando omittitur, Synes. κακῶς ὁ δεῦρό με κομίσας ἀπόλοιτο ναύκληρος, *male pereat nauta, qui me huc aduexit.* Theocrit. εἴθε γενοίμην.

Ἡ βομβεῦσα μέλισσα, καὶ ἐς τὸ σὸν ἄντρον ἱκοίμην. *vtinam fierem apis strepera, tuumq; in antrum venirem.*

III. Optatiuus sæpe ponitur pro indicatiuo; & Atticorum proprium est optatiuis vti,

vbi natura ad indicatiuum ferebat, vt ait Budæus. ἔλεγες γὰρ ὅτι ζεὺς τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν αἰδῶ πέμψειε τοῖς ἀνθρώποις. Plato, *dixisti enim à Ioue iustitiam ac verecundiam hominibus missam.* οἱ δ᾽ Ινδοὶ εἰσελθόντες ἔλεξαν. ὅτι πέμψειε σφᾶς ὁ Ινδῶν βασιλεὺς, καὶ κελεύσειεν ἐρωτᾷν. Xenoph. *Indi vero ingressi dixerunt, se à Rege Indorum missos, & iussos interrogare,* pro ἔπεμψε καὶ ἐκέλευσε.

SVBIVNCTIVVS.

Subiunctiui magnus est vsus apud Græcos & Latinos in ambigendo dubitandoq;. πότερον εἴπω, *vtrum dicam,* οὐκ οἶδ᾽ ὅ, τι φῶ, *nescio quid dicere debeam.*

INFINITIVVS.

I. Cum duo verba simul ponuntur absque coniunctione, alterum ponitur in infinitiuo, sicut apud Latinos, δοκεῖς τι ἀληθὲς λέγειν. Lucian. *videris quiddam verum dicere.*

II. Infinitiuus nominatiuum habet, cum in eadem persona oratio subsistit, λέγω εἶναι φίλος, *dico me esse amicum.* Lucian. φησὶν οὗτος ἀμείνων γεγενῆσθαι στρατηγὸς, *dicit se meliorem esse ducem.*

III. Cum vero in eadem persona non persistitur, accusatiuus adiungitur, φημὶ τούτους μάλιστα ἐπαίνου ἀξίους εἶναι. Lucian. *dico istos maxime esse laude dignos.*

IV. Aliquando cum in eadem persona manet oratio, accusatiuus adhibetur. Homerus οὐδὲ γὰρ οὐδ᾽ ἐμὲ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς,

κῆς, neq́ vero ego me dico oblitum fortitudinis.

ANNOTATIO.

Fuſius de his Budæus. Imitati ſunt nonnunquam Latini ſecundam regulam, *Lucan.*

Tutumq́ putauit
Iam bonus eſſe ſocer.

Ouid. *ſed enim quia retulit Aiax*
Eſſe Iouis pronepos.

Catul. *Phaſelus ille quem videtis hoſpites,*
Ait fuiſſe nauium celerrimus.

De quibus conſule Emmanuelem initio Syntaxeos.

V. Quando infinitiuus & verbum præcedens ad eandem perſonam pertinent, non eſt opus accuſatiuo pronominis, ἔφη ποιήσειν, *dixit facturum*, nimirum ſe. ὑπέσχετο βοηθήσειν, Plutarch. *pollicitus eſt ſe opitulaturum.*

VI. Verbum μέλλω frequenter adiungitur præſenti, aoriſtis, & futuris infinitiui μέλλω ποιεῖν, *faciam*, ad verbum, *futurus ſum facere*, ἔμελλον ποιεῖν, *facturus eram.* ὅταν μέλλῃ εἰσάξειν, ad verbum, *quando futurus eſt introducere*, id eſt, *quando introducturus eſt.* λόγος ὁ μέλλων λεχθήσεσθαι, λόγος ὁ λεχθησόμενος, *oratio recitanda.* μέλλω γενέσθαι, *ero.*

VII. Infinitiuum εἶναι, accedente verbo ἐστὶ, vel ἔξεστι, vel ὑπάρχει, vel aliquo ſimili, dandi vel accuſandi caſum poſtulat, ἰσχυροῖς Λακεδαιμονίοις ἀνδρείοις ἐστὶν εἶναι, *continuo Lacedæmoniis fortibus atq́ robuſtis eſſe licet*, τῇ τῶν τρόπων πρᾳότητι οὐδέσιν ἄλλοις ὁμοίως ἡμέροις εἶναι δοκεῖν λιπόντες, Ariſtid. *manſuetudine morum*

nullis aliis relinquentes, vt atque placidi esse videantur, σοὶ δὲ συκοφάντῃ εἶναι ὑπάρχει. Demosth. *tibi licet esse sycophantæ.*

VIII. Accusatiui participiorum frequenter pro verbis infinitis ponuntur, πρῶτον μὲν ἅπαντες μέμνησθε δὶς δεθέντα καὶ κριθέντα. Demost. *omnes meministis bis ligatum bisque condemnatum,* pro, δεθῆναι καὶ κριθῆναι.

IX. Cum verbis perseuerandi, desistendi, affectionem animi notitiamue significantibus coniungitur participium loco infinitiui, ἀγαπῶν με διατέλει, pro, ἀγαπᾶν *perge me amare.* οὐ παύσομαι φιλῶν, *non cessabo amare,* pro, φιλεῖν. παύσασθε ἐρίζοντες, Lucian. *cessate contendere.* μέμνημαι ἰδών, pro, ἰδέσθαι, *memini videre.* λανθάνει πράττων. Aristoteles, *latet alios eum hoc facere, clam facit.* λέληθας δουλεύων, Aristoph. *oblitus es te seruire.*

X. Idem fit in nonnullis adiectiuis cognitionem significantibus, δῆλος εἶ συκοφαντῶν, *manifestus es sycophanta,* Lucian.

XI. Interdum tamen non participium, sed infinitiuus prædictis verbis additur, μέτελλον αἰσθόμενος ἐγγὺς εἶναι (pro ὄντα) ἀνέζευξε, Plutarchus, *sentiens Metellum prope adesse, castra mouit.*

XII. Vsurpatur infinitiuus frequentissime pro coniunctiuo vel optatiuo præcedentibus particulis οἷος, ὅσον, ὡς, ὥστε, πρίν, ἐφ᾽ ᾧ. οὐδ᾽ ὀβολὸν ἔχει ὥστε πρίασθαι βρόχον. Lucianus, *neque obulum habet, vt emat laqueum.* τοιοῦτός ἐστιν

οἷος

οἷος μὴ ἥδεσθαι, *talis homo est, vt nulla voluptate afficiatur.* οἱ θεοί εἰσιν οἷοι μὴ μεταβάλλειν. *Dii sunt eiusmodi vt nunquam mutentur.* πολλάκις γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι. Isocrat. *Sæpe accidit, vt qui potentiores essent, ab imbecillioribus vincerentur.*

XIII. Nominatiuis adiectiuorum eleganter adiungunt Græci infinitiuum, δεινὸς λέγειν, *acer dicere*, id est, *acer & vehemens in dicendo.* δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρον. Æschyl. *etiam ex desperatis exitum reperire potest.* ὀξὺς ὁρᾶν, *acer videre.* βαθεῖα περᾶσαι, *profunda transire*, ἔμπειρος ἱππεύειν, τοξεύειν, ᾄδειν, *peritus equitare, iaculari, cantare.*

ANNOTATIO.

Hinc illa apud Latinos, *fortis bellare, prudens intelligere, sapiens prouidere*, & similia passim apud Latinos obuia, maxime apud Horatium.

XIV. Infinitiuus apud Græcos ponitur frequenter pro imperatiuo. Phocylid. μέτρῳ μὲν φαγέειν, πιεῖν καὶ μυθολογεύειν, pro φάγε, πίε, καὶ μυθολόγευε. *moderate edito, bibito ac loquere.* Et hoc frequenter fit apud Hesiodum in ἔργοις.

ANNOTATIO.

Sunt tamen qui subaudiri velint verbum, θέλε, aut χρὴ, aut προσήκει, aut aliud simile. modum hunc loquendi expressit Virgil. 3. Georg.

Æstibus at mediis vmbrosam exquirere vallem,
Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus.

Subaudi conuenit.

XV. Gerundia Latinorum in DI, DO,

DVM, itemq; supina, supplent Græci per infinitiuum, addito interdum articulo, interdum omisso, cum aliis particulis, vt sunt, ἕνεκα, χάριν. Et cum præpositionib. ἄριστος ἀκοντίζειν. Herodianus. *peritissimus iaculandi.* ὥρα ἡμῖν ἀπιέναι. Lucian. *tempus est abeundi.* ὥρα πορεύεσθαί ἐστι. Xenophon. *tempus est abeundi.* ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν. Isocrates. *gratia vel caussa augendi rem familiarem.* τοῦ νικᾷν ἕνεκα ἦλθε. *venit vincendi gratia.* τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι. Aristot. *diuitiæ magis sunt in vtendo quam in possidendo.* δῶκε φέρειν. *dedit ferendum.* εὖ πεφυκὼς πρὸς τὸ διαχλευάζειν. Polyb. *natura aptus ad subsannandum.* ἐξῆλθε μισθώσασθαι ἐργάτας. Matthæi 20. *exiuit conductum seu conducere operarios.* ἡδὺ καὶ εὐπετὲς κτήσασθαι. Plato. *res comparatu facilis.*

XVI. Gerundia in DVM cum aliquid fieri aut faciendum significant, circumloquuntur Græci per verbalia in εον, λεκτέον, *dicendum.* ποιητέον, *faciendum*: τυπτέον, *verberandum*: quæ præter suum casum, casum quoq; personæ recipiunt, οὐ δουλευτέον τούτοις; *non est his seruiendum.* οὐ ταὐτὰ πᾶσιν ἀποδοτέον. Arist. *non eadem omnibus tribuendum est.* εὐθὺς διαλυτέον τὰς φιλίας. Aristot. *statim dissoluendum amicitias.*

ANNOTATIO.

Ita enim ad verbum vertitur, qui modus loquendi Latinis quoq; placuit, Lucret.

Æternas quoniam pœnas in morte timendum.

Virgil.

Virgil. — *alia arma Latinis*

Quarenda, aut pacem Troiano à rege petendum. Vide Emmanuelem in construſtione infinitiui, & de participiali in Dum. γραπτέον ἐμοὶ ἐπιστολήν, ad verbum, *ſcribendum eſt mihi Epiſtolam*, pro, *ſcribenda eſt mihi*, vel, *à me Epiſtola.*

XVII. Attici in his verbalibus vtuntur nonnunquam plurali pro ſingulari, οὐκ ἔτι πιστευτέα τῶν νῦν οὐδενὶ, pro, πιστευτέον. Lucian. *non eſt amplius vlli mortalium fidendum.* προσδοκτέα εἶναι, *eundem eſſe*, pro, προσδοκτέον, inquit Budæus.

XVIII. Aliquando conſtruuntur verbalia hæc cum ſuo ſubſtantiuo, more adiectiuorū, λυτέος καὶ οὐκ ἐατέος, ὁ τοιοῦτος νόμος κύριος γενέσθαι νῦν. Demoſth. *Soluenda eſt huiuſmodi Lex, & non permittenda, vt ſe dominam conſtituat.* οὐ παροπτέος ἀνὴρ οὐδὲ ἀμελητέος. Lucian. *non deſpiciendus vir, neq; negligendus.*

XIX. Videntur nonnunquam Græci gerundia & ſupina circumloqui per participia, ἧκον ἀμυνοῦντες. Iſocrat. *veniebant opitulatum.* βαῖνον ἐποψόμεναι. Apoll. *ibant ſpectatum.* ὁ ἡττηθεὶς μαχόμενος, Ariſt. *victus pugnando*: μεταξὺ λουόμενος, *inter lauandum.*

ANNOTATIO.

Hæc tamen & ſimilia exempla aliter Latine reddi poſſunt, nempe veniebant opitulaturi, ibant ſpectaturæ, victus in pugna. Et hæc de infinitiuo.

Capvt XVI.
De Constrvctione Participiorum.

VSus participiorũ in lingua Græca adeo frequens est & elegans, vt non immerito Græci dicantur φιλομέτοχοι, id est, participiorum amantes. Plurima enim, quæ nos non nisi periphrasi adhibita pluribus efferre possumus, ipsi vnico participio venustissime exprimũt; quod Latinis mirari, raro vero imitari licet, præsertim pari lepore & gratia; imo & tunc quoque libenter participiis vtuntur, cum aliis verbis æque commode & breuiter vti possent, cuius rei hoc sit exemplum. Demosthenes. ὡς γὰρ εἰπεῖν ἁπλῶς, ἅπαντες ἐγνωκότες ὑπάρχειν μοι δοκεῖτε, *vt enim vno verbo dicã, omnes videmini mihi cognouisse:* poterat Demosthenes breuius dicere, γνῶναι, vel ἐγνωκέναι. Idem, ὅτι εἴη Νικόδημον ἀπεκτονὼς, *quod Nicodemum peremerit.* pro, ὅτι ἀπέκτονες ἢ ἀπέκτανε. Idem, οὗτος δ' ἦν ὁ πάντα ταῦτα διοικῶν, pro, οὗτος πάντα ταῦτα διῴκει, *hic omnia administrabat.*

Cæterum cum ex iis quæ superioribus capitibus de verbis præcepimus, multa participiis sint communia cum verbis, superuacaneum foret, hic plures hac de re præceptiones tradere.

I. Participia imitantur verborum suorum constructionem, sicut apud Latinos, ὀλιγωρῶν τῆς παιδείας, *negligens disciplinæ.*

II. Participia cum fiunt nomina genitiuum habent, sicut apud Latinos, εἰδυῖα πόνου, *gnara laboris.* μάχης εὖ εἰδότες πάσης. Home. *belli scientes.* διδασκόμενος πολέμοιο, Hom. *doctus belli.* τόξων εὖ εἰδὼς, Hom. *sciens iaculorum.*

III. Aliquando adiunguntur participia verbis,

bis, vt eorum significationem augeant, οἶδα ἰδὼν, *videns vidi, sciens scio.*

IV. Interdum abundant participia ᾤχετ' ἀπιὼν, *abiit, vel abiens abiit.* λη̃ρεῖς ἔχων, *nugaris.* De qua re etiam capite secundo dictum est.

CAPVT XVII.
DE CONSTRVCTIONE ADVERBIORUM.

ADVERBIA CVM NOMINE.

I. Aduerbia demonstrandi nominatiuum vel accusatiuum habent, ἰδὲ, ἰδοὺ, ἠνίδε, *en, ecce,* ἰδοὺ ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα. Æsopus, *ecce Rhodus, ecce saltus.*

II. Genitiuum habent aduerbia loci, temporis, numeri, ordinis, caussæ, similitudinis, separationis, exceptionis, copiæ, celandi, & illa omnia, quæ formantur à nominibus genitiuum habentibus, vt sunt comparatiua & superlatiua, & alia quam plurima, quorum omnium ordine subiiciam exempla. ἐγγὺς τῆς πόλεως, *prope ciuitatem.* πλησίον τῆς ἀγορᾶς, *prope forum.* εὐθὺ Βαβυλῶνος, *rectà Babylonem.* πόῤῥω διὸς καὶ κεραυνοῦ, *procul à Ioue & fulmine.* πρόσθε θυρῶν, *ante fores.* ἔξω τῆς πόλεως, *extra ciuitatem.*

Μεταξὺ κινδύνων, *inter pericula.* εὐθὺς τοῦ δείπνου, τοῦ ἀρίστου, *statim à cœna, à prandio.* μέχρι ἕως τῆς ἑσπέρας, *vsque ad vesperam.* πρωῒ τῆς ἡμέρας,

ἕρας, *matutino tempore.* ἅπαξ, δὶς, τρὶς, τετράκις τοῦ ἐνιαυτοῦ *semel, bis ter, quater, in anno.* ἐφεξῆς τοῦ ἑνὸς, *deinceps post vnum.* ἑχομένως τούτων, *post hæc.* ἕνεκα τῆς ἀληθείας, εὐδαιμονίας. *propter veritatem, felicitatem.* χάριν τῶν πόνων, *gratia laborum.* ἕκατι τοῦ κέρδους, *propter lucrum.* ποταμοῦ δίκην ἢ πυρὸς, *instar fluuii, vel ignis,* & apud Poëtas, δίχα δώρων, *sine donis.* ἄτερθε πόνων, ἀπάνευθε καμάτων, *sine labore.* νόσφι διὸς, *sine Ioue.* χωρὶς τῶν ἄλλων, *absq; aliis.* δίκην μαγείρων, *more cocorũ.* πάντα ἔχει πλὴν χρημάτων, *omnia habet excepta pecunia.* παρεκτὸς μοιχείας, *excepto adulterio.* ἅλις ἁλὸς, *satis salis.* κρύβδα vel λάθρα τῶν ἄλλων, *clam aliis.* μᾶλλον τῆς φύσεως, *magis quam natura ferat.* μάλιστα πάντων, *maxime omnium.* ἥκιστα πάντων, *minime omnium.* ἀξίως τῶν προγόνων, *digne maioribus.*

III. Datiuum habent aduerbia congregandi. ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, *simul cum die.*

Ἅμα τοῖς ἄλλοις, *simul cum aliis,* ὁμοῦ τοῖς συμμάχοις, *vna cum sociis.*

IV. Datiuum etiam illa poſcunt, quæ fiunt à nominibus cum datiuo iungi ſolitis. ὁμοφώνως ἄλλοις, *conuenienter aliis.*

V. Sicut nomina nonnulla genitiuum & datiuum poſtulant, ita quædam etiam aduerbia, πλησίον σοῦ καὶ σοί, *prope te.* ὁμοίως ἀνθρώπου καὶ ἀνθρώπῳ, *similiter homini.* ἐγγὺς τῆς πόλεως, ἐγγὺς τῇ πόλει, *prope ciuitatem.*

VI. Aduerbia iurandi accuſatiuum habent, νὴ τὸν δία, μὰ τὸν Ἀπόλλω. paſſim apud auctores. *ita per Iouem, non per Apollinem.*

VII. Si Aduerbia negandi cum negatiuis nominibus, aliiſve negantibus aduerbiis coniungantur, magis negant, οὐκ ἐστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν, οὔτε ζῶντι, οὔτε τελευτήσοντι. Plato, *Vir bonus nullum malum habet neque viuus neque mortuus.*

VIII. ὦ aduerbium vocantis, exclamantis & admirantis Græcis, Latinis etiam interiectio, coniungitur cum nominatiuo, genitiuo, accuſatiuo & vocatiuo. ὦ ἔβενος, ὦ χρυσός. Theocr. *ô ebenus, ô aurum.* ὢ πηγῆς πολυχεύμου, S. Baſilius, *ô fontem vberem.* ὢ τῆς ἐμῆς ἀθλιότητος, *ô meam miſeriam*, ὢ τῆς ἀναισχυντίας. *ô impudentiam.* ὢ ἐμὲ δειλὰν, *ô me miſeram.* Callimach. ὦ Ζεῦ τί λέξω; *ô Iuppiter quid dicam?* ὦ μῆτερ, ὦ τεκοῦσα, *ô mater, ô genitrix.* Eurip.

ANNOTATIO.

Aduerbium ὤ oxytonum aiunt eſſe admirantis, vel dolentis, ὦ periſpomenon vocantis, exclamantis.

IX. Aliquando ſolus genitiuus ponitur, omiſſo aduerbio, τῆς τύχης, *fortunam*, pro, ὢ τῆς τύχης, τῆς ἀσελγείας, τῆς ἀναισχυντίας, *impuritatem, impudentiam*, pro ὢ τῆς ἀσελγείας. ὢ τῆς ὠμότητος, Nazianz. *ô crudelitatem.*

X. Græci in inuocationibus vocatiuo & genitiuo vtuntur, vbi Latini vocatiuum & accuſatiuum adhibent, ὦ Ἄπολλον εὐδαιμονίας ὑπερβαλλούσης, *Apollo magnam felicitatem.*

Alia alios ſubinde caſus habent, vt φεῦ genitiuum,

tiuum, φεῦ τῆς ἀλλαγῆς. Lucian. *hem mutationem.* οἴμοι τῶν κτημάτων, οἴμοι τῶν ἀγρῶν, Lucianus, *heu mihi ob possessiones, heu mihi ob agros.* Sunt qui in his & similibus subaudiendam putent particulam ἕνεκα. Cum recto quoq; copulatur, οἴμοι κακοδαίμων, *heu misero mihi.* Aristoph.

XI. Vim superlatiuorum aduerbialium augent Græci adiectione harum particularum, ὡς, ὅτι, ὡς ὅτι, & similium. ὡς βέλτιστα, ὡς ὅτι βέλτιστα, ὡς οἷόν τε ἄριστα, *optime*, ὡς ἐδύνατο κάλλιστα, *quam potuit pulcherrime.*

ADVERBIA CVM VERBIS.

I. Aduerbia qualitatis frequenter & elegãter construuntur cum verbo ἔχω, διάκειμαι, διατίθεμαι, addito casu illius aduerbii. ἀφειδῶς ἔχει χρημάτων, *prodigus pecuniæ.* τῶν ἐν ἀγορᾷ οὐκ ἀπείρως ἔχει, *non est imperitus rerum forensium.* ἀρχαίως ἔχει, *homo antiquæ fidei.* εὖ διακείμενος καὶ καλῶς, *bene affectus.*

ANNOTATIO.

Hæc & similia Latine exprimi non possunt ad verbum. Male enim dixeris, Imperite habet rerum forensium.

II. Verbum ἔχω admittit nonnunquam aduerbium qualitatis, addito genitiuo, quem tamen alias aduerbium non regit, πειράσομαι λέγειν ὡς ἔχω γνώμης, Halicarnass. *conabor explicare sententiam meam.* πῶς ἔχεις γνώμης *quæ est tua sententia? quomodo affectus es?*

III. ὡς, ὥστε, ἐπειδὴ, πρὶν, πρὶν ἤ, ὅσον, sæpe apud Græcos cum infinitiuo construuntur. ταῦτ' οὖν ὡς μὲν ὑπομνῆσαι, νῦν ἱκανῶς εἴρηται. Demost.

Demosth. *Hæc igitur vt admonendi gratia, nunc dixiſſe, ſatis fuerit.* ὡς ἔπος εἰπεῖν, *vt verbo dicam.* οὐδενὶ γὰρ τοσαύτην σχολὴν παρέλιπον, ὥστε ἑτέρων συναχθεσθῆναι. Iſocrat. *nulli enim tantum otii reliquerunt, vt malis alienis afficeretur.* πρὶν εἰπεῖν, *priuſquam diceret.* πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. Matth. 1. *antequam conuenirent.* μὴ πρὶν ἐπ' ἠέλιον δῦναι καὶ ἐπὶ κνέφας ἐλθεῖν. Hom. 2. Iliad. *Non prius Sol occidat & tenebræ aduenïant.* ἐπειδὴ γενέσθαι ἐπὶ τῇ οἰκίᾳ Ἀγάθωνος, ἀνεωγμένην καταλαμβάνειν τὴν θύραν. Plato, *Poſtquam vero ad Agathonis ædes veniſſent, apertas inueniſſe fores.* πολλάκις γέγονεν ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι. Iſocr. *Sæpe accidit vt qui potentiores eſſent, ab imbecillioribus vincerentur.*

ANNOTATIO.

Aliqui hic ſubaudiri putant verbum συνέβαινε, vel aliud ſimile, ἐπειδὴ δὲ συνέβαινε γενέσθαι. Eſt vero hæc cõſtructio plane Græca, neq; quidquam cum Latino more commune habet, quam expreſſiſſe videtur Horat. lib. 1. Ode 11. *vt melius quidquid erit, pati*, id eſt, *vt melius patiaris.* Obtinet porro accuſatiuus huiuſmodi vim nominatiui. Illa enim ſententia Iſocrat. vbi ὥστε cum infinitiuo & accuſatiuo iungitur, ita reddi poteſt, πολλάκις γέγονεν, ὥστε οἱ μείζω δύναμιν ἔχοντες, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων, κρατηθῶσι.

IV. Eædem particulæ ὡς, ὥστε, ſæpe etiam cum indicatiuo, & cum optatiuo, & interdum cum ſubiunctiuo conſtruuntur, ſicut apud Latinos. ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. Theocrit. *vt vidi, vt inſanii.* ὡς μηδὲν ὑπὸ τῶν ὄχλων βιασθείη. Halicarn.

licarn. *ne qua illi vis à turba inferretur.* ὥστε μηκέτι πολεμήσωμεν, *ne amplius bellū geramus.* τοσοῦτό μου κατεπεφρόνηκεν, ὥστε ἐλπίζει ῥαδίως ἐπικρατήσειν. Hocr. *adeo me contempsit, vt etiam speret se me facile superaturum.*

ANNOTATIO.

Ὡς in aduerbiali significatione plerumq; indicatiuum habet. Poterant autem duæ proximæ antecedentes regulæ ad coniunctiones reiici, sed cum voculæ illæ in aduerbiis quoque numerentur, visum est eas hoc loco ponere.

V. Aduerbia hortandi, prohibendi, optandi, & similia eosdem fere modos habent, quos apud Latinos, φέρε δὴ σκέψασθε, *age considerate.* ἄγετε εἴπατε, Lucian. *agite dicite.* μὴ ἐνόχλει. Lucian. *ne sis molestus,* μὴ κέκραχθι, Lucia. *ne clama.* εἴθε γενοίμην, Theocrit. *vtinam fierem.*

VI. Iungitur εἴθε etiam cum accusatiuo & infinitiuo. Phocyl. εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν. *vtinam non esses mortalibus desiderabile malum.*

VII. Præponuntur præterea hæ optatiuæ particulæ, αἴθε, εἴθε, & ὡς præterito imperfecto, ὤφειλον. seu ὄφειλον, & Aoristo secundo, ὤφελον, siue ὄφελον, sequente infinitiuo. Homer.

ἤλυθες ἐκ πολέμου, ὡς ὤφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι,
Venisti ex pugna, vtinam ibi periisses.

Idem, αἴθ' ὄφελές ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.

Vtinam

Vtinam aut natus non esses, aut periisses ante matrimonium.

ADVERBIA CVM ADVERbiis.

Aliquando coniunguntur aduerbia cum aduerbiis. Hesiod. νόσφιν ἄτερθε κακῶν, *absque malis*. Aristoph. μάλα σφόδρα. ad verbum, *valde valde, magnopere*. πάνυ σφόδρα, *omnino*. Plato.

Aliquando adsciscunt sibi præpositionem, μέχρι πρὸς τὸν ἥλιον, *vsque ad solem*. Arist.

CAPVT XVIII.

DE CONSTRVCTIONE PRÆSITIONVM.

CVm bona pars elegantiæ Græci sermonis in recto præpositionum vsu sita sit, merito multum operæ & studii in illis accurate explicandis ponitur. Tam varie enim & intra & extra compositionem vsurpantur ab auctoribus, vt illarum regulæ breuiter nequaquam expediri possint. Quo fit, vt nos etiam solito longiores in hoc capite futuri simus. Multa tamen vsu & lectione bonorum auctorum cognoscenda prætermisimus. Quis enim omnia regulis concludat. Neque vero illa, quæ iam libro primo huius Grammatices dicta sunt, hic repetenda duximus.

REGVLAE GENERALES DE præpositionibus.

I. PLERÆQVE præpositiones præposito

articulo vicem nominis gerunt. οἱ ἐν ἀγρῷ, id est, ἀγροῖκοι, *agrestes*. οἱ ἐκ τῆς στοᾶς. *Stoici*. οἱ πρὸ ἡμῶν, *maiores nostri*. οἱ σὺν Ἀντωνίῳ, id est, Antoniani, τὸ εἰς ἐμὲ, *officium meum*, subauditur enim καθῆκον, aut quid simile, οἱ μεθ' ἡμᾶς, *posteri*, οἱ μεθ' ἡμῶν, *præsentes, qui nobiscum viuunt*. τὰ ὑπὲρ γῆς, id est, γήϊνα, *terrestria*. τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, id est, οὐράνια, *cœlestia*. οἱ πρὸς ταῖς κύλιξι, *pocillatores, ministri à poculis*. τὰ πρὸς ποσὶν, *obuia*. τὰ ὑπὸ γῆς, *quæ sub terra sunt*.

II. Præpositiones migrant in aduerbia, quando casus suos amittunt, quod etiam apud Latinos contingit, καὶ μικρόν τι πρός. Demosth. *& aliquid amplius*. πᾶσα περιχθών. Hom. *omnis circum terra*. sic, *longo post tempore, paucis post diebus*.

III. Sæpe subticentur præpositiones, σὴν χάριν λέγω, id est, πρὸς, *tua caussa dico*.

ANNOTATIO.

De Tmesi aliisq; disiunctionibus vel à suo casu, vel à suo verbo, nihil dicendum est, cum eædem Latinis quoque vsitatæ sint.

REGVLAE SPECIALES DE PRAEpositionibus.

Præpositiones sunt octodecim, ex quibus sex monosyllabæ, ἐν, εἰς, vel ἐς, ἐκ vel ἐξ, πρὸ, πρὸς, σὺν, Attice ξύν.

Duodecim dissyllabæ, ἀνὰ, κατὰ, διὰ, μετὰ, παρὰ, ἀντὶ, ἐπὶ, ἀμφὶ, περὶ, ἀπὸ, ὑπὸ, ὑπέρ. Ex his quædam vnum duntaxat casum, quædam plures

plures habent, quamuis fere ſemper diuerſa ſignificatione.

Præpoſitiones cum genitiuo.

Solum genitiuum habent ex monoſyllabis ἐξ & πρὸ, ex diſſyllabis ἀντὶ & ἀπό.

Ex vel ἐξ	Ex	ἐξ οἴκου, *ex domo*, ἐκ καρδίας, *ex corde.*
	De	κατεσπάσθη ἐκ τοῦ ἵππου. Lucia. *detractus eſt de equo.*
	A, vel ab	ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Theoc. *à Ioue ordiamur.* ἐκ νηπίου, *ab infantia.*
	Præ	ἐξ ἄλλων ὁδὸν ταύταν ἐπίσταται. Pind. *præ aliis hanc viam norunt.*

Interdum Latine non exprimitur, quod omnibus præpoſitionibus commune eſt, ἐκ πολλοῦ, *multo tempore.* quod etiam in verbis nonnunquam accidit, ἐκ μανείς, *furore percitus.*

Interdum exprimitur per aduerbium, ἐκ θεοῦ ταῦτα γέγονε, *hæc facta ſunt diuinitus.*

Componitur cum aduerbiis, ἐκ τότε, ad verbum, ex tunc, ἀπὸ τηλοῦ *à longè.*

πρὸ	Præ	ὅμηρος καὶ ἡσίοδος πρὸ τῶν πάντων τὴν ὄρχησιν ἐπαινοῦσι. Lucian. *Homerus & Heſiodus præ omnibus ſaltationem laudant.*
	Pro	πρὸ τῶν κοινῶν κινδυνεύειν. Lucia. *pro communi vtilitate periculum ſuſcipere.*
	Ante	πρὸ ἐμοῦ. Demoſth. *ante me.* πρὸ θυρῶν *ante fores*, οἱ πρὸ ἡμῶν, *maiores noſtri.* πρὸ τοῖν ποδοῖν, *antepedes.* πρὸ ὁδοῦ καὶ πρὸ ἔργου & contractione προὔργου *operæpretium, vtilitas, commo-*

dum : πρὸ ὁδοῦ σοι γένοιτο, Lucian. *profuerit tibi, sit fœlix.* οὐδὲν ἐστι προὔργου τοῦτο ποιεῖν, *non est operæpretium hoc facere.*

Solet autem non raro præpositio πρὸ in compositione & cum suis casibus sequente ο vel ε coalescere in vnam syllabam, προὐλίγου, πρὸ ὀλίγου, *paulo ante.* προὔχω, προέχω, *præcedo, præcello.* De quo libro primo capite 13.

In compositione fere seruat πρὸ suum significatum, προέχω, *antecello.* προκειμένη τιμωρία, *pœna proposita.* προάστιον, *suburbium*; ad verbum, *quod est ante vrbem.*

ANTI.

Ἀντὶ	pro	ἀντ᾽ οἰκέτου. Aristot. *pro famulo,* id est, *vice seu loco famuli.* ἀντὶ ἀγαθῶν, ἀποδιδόναι κακά, *mala pro bonis reddere.*
	propter, ob	οὐκ οἶδ᾽ ἀνθ᾽ ὅτου, S. Gregorius Nazianz. *nescio quam obrem.*

In compositione significat, *pro & contra,* ἀνθύπατος, *proconsul.* ἀνθίστασθαι, ἀντιλέγειν, *repugnare, contradicere.* Item comparationem: ἀντίθεος, *similis Deo.* Et vicem, ἀντευεργετεῖν, ἀντιπελαργεῖν, *vicissim beneficium præstare.* ἀντίδειπνος, *qui alterius loco ad cœnam venit.* ἀντίδικος, *aduersarius in lite, litigans contra alium.* ἀντιδικία, *contralitigatio.*

Ἀπὸ	E vel ex	τὴν θάλατταν ἀπὸ τῆς γῆς ὁρᾶν, Callim. *mare è terra intueri.* ἀπὸ συνθήματος, *ex compacto, ex composito.*
	A, ab	ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, *à capite,* ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ab initio.* ἀπὸ δείπνου, Homer. *à cœna,* id est, *post cœnam.*
	Per	κατελύθη πόλεμος ἀπὸ προσευχῆς, Chrysost. *per preces bellum solutum est.*

Abs-

Absque	ἡ ἄτερ ἀνδρὸς οὖσα, Plut. *quæ absque marito est.* οὐκ ἀπὸ τρόπου. οὐκ ἀπὸ πράγματος, *non abs re.*
A, post,	ἀπὸ δείπνου. Homer. *à prandio.*

In compositione idem fere significat quod extra compositionem, vt vsus te docebit.

DATIVVS CVM PRAEPOSITIONE.

Solum datiuum postulant duæ præpositiones monosyllabæ, ἐν & σύν.

Ἐν

In	ἐν οὐρανῷ, *in cœlo.*
Inter	τοῦτο ἐν οἴνῳ ἐγένετο. Plut. *hoc inter pocula accidit.*
Penes	ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τούτου τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί. Demosth. *huius rei exitus penes Deum, non penes me erat.*
Cum	ἐν πέλταις καὶ ἀκοντίοις. Xenoph. *cum peltis & spiculis.*

Construitur interdum ἐν cum genitiuo, sed per ellipsin, ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου. Eurip. subauditur οἴκῳ, *In viri maxime pij domo.* Sic Latine in *Veneris, in Dianæ,* subintelligitur *æde, templo.*

Præpositio ἐν sæpe ponitur pro εἰς, θρασὺς ἐν ἐμοὶ, pro εἰς ἐμέ. Sophoc. *audax in me, contra me.* sic in Euangel. Luc. 7. ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ, pro, εἰς ὅλην τὴν Ἰουδαίαν καὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον.

Rursus εἰς ponitur pro ἐν, τὸ θρόνον εἰς ὃν προκαθίζων ἐδίκαζεν. Herod. εἰς ὃν pro ἐν ᾧ. *thronus in quo præsidens iudicabat.* Aristoph. κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ, κράτιστόν ἐστι, *optimum est, vt eum in AEsculapij templo reclinemus.*

ΣΥΝ.

Σὺν respondet Latinæ præpositioni cum, σὺν θεῷ, *cum Deo.* sæpe omittitur in Latina interpretatione, σὺν χάρισι, *gratiis fauentibus,* σὺν θεῷ, *Deo volente.*

In pronomine αὐτὸς sæpe intelligitur præpositio σὺν, Lucian. ἀποτιμῶν αὐταῖς ὠλέναις τὰ πτερὰ, id est, σὺν αὐταῖς, *vna cum aliis amputans pennas.*

ACCVSATIVVS CVM PRAEPOSITIONE.

Solum accuſatiuum habent εἰς, Attice ἐς & ἀνά.

Εἰς	In	εἰς οἶκον εἰσελθεῖν, intrare in domum.
		εἰς οὖς λέγειν, *in aurem dicere.*
	In, *id eſt,* erga	τῇ ὑμῶν εἰς ἐμὲ εὐνοίᾳ. Xenoph. *veſtra erga me beneuolentia.*

Εἰς	Ad Apud	εἰς ἀγαμέμνονα δῖον, *Ad Agamemnonem dium.* Hom. διαβεβλημένος εἰς τοὺς Μακεδόνας. Pauſ. *apud Macedones infamatus.*
	Ad, *id eſt,* circiter	εἰς τριακοσίους. Pauſ. *ad trecentos.*
	Ob, propter	εἰς δικαιοσύνην ἐπαινεῖται. Ariſt. *laudatur propter iuſtitiam.*
	Contra	εἰς τοὺς σοφιστὰς. *contra Sophiſtas.*

Ponitur cum genitiuo per ellipſin, εἰς διδασκάλου, pro, εἰς οἰκίαν διδασκάλου, *in domum præceptoris.*

ANA.

Ἀνὰ	Per	ἀνὰ πόλιν, ἀνὰ στρατὸν, ἀνὰ Ἑλλάδα, *per vrbem, per exercitum, per Græciam.* ἀνὰ πᾶν ἔτος. Dioſcorides, *per ſingulos annos.*
	In	ἀνὰ στόμα ἔχειν, *in ore habere.* Xenoph.
	Aduerſus, Contra,	ἀνὰ ποταμὸν πλέειν. Herod. *contra fluuium nauigare.*

ἐλα-

Singuli — ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνὰ δηνάριον. Matth.20. *Acceperunt & ipsi singuli denarium.*

Poetice iungitur cum datiuo, χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ. Homer. *aureo cum sceptro.* ἀνὰ βωμοῖς, *superaris.* Homer.

Genitiuum & accuſatiuum habent iſtæ quatuor præpoſitiones, διὰ, μετὰ, κατὰ, ὑπέρ.

ΔΙΑ.

Διὰ cum genitiuo.

Per	διὰ βίου. Plutarch. *per totam vitam,* διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, *terra marique.*
Ex	δι' ἀλφίτου πεποιημένος. Plut. *ex farina confectus.*
In	διὰ χειρὸς ἔχειν. Halicarn. *in manu habere.*
Poſt	δι' ἐτῶν ἢ πλειόνων παρεγενόμην, *poſt annos multos adueni.*

Διὰ cum accuſatiuo

Propter	διὰ τί. *quamobrem?*
Per	διὰ νύκτα μέλαιναν, *per atram noctem.* διά τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα, Homer. *per arma & ſanguinem.*
A, ab	διὰ θεοὺς ἐσώθην, *ſeruatus ſum à Diis.* Demoſth.

ΜΕΤΑ.

Μετὰ, cum genitiuo, cum. μετά σοῦ. *tecum.* μετὰ μαινομένων μαίνεσθαι, *cum inſanientibus inſanire.*

Interdum iungitur Datiuo. Lucian. ὀρφεὺς μετὰ χερσὶν ἔχων τὴν λύραν, *Orpheus manibus lyram tenens.* καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷες Ἀχαιῶν Homer. *& illa quidem recte inter ſe diuiſerunt Græci.*

Poſt	μετὰ ἡμέρας ὀκτὼ. *poſt dies octo.*
Ad	μετὰ δαίμονας ἄλλους. Homer. *ad alios Deos.*

Μετὰ cum accusatiuo	In	ἃ μετὰ χεῖρας ἔχοι. Thycyd. *quæ in manibus haberet.*
	Propter	ἑὸν μετὰ κάλλος. Homer. *propter suam pulchritudinem.*

ΚΑΤΑ.

κατὰ cum genitiuo	De	Κατὰ τῶν πετρῶν ῥίπτειν, *de saxis deiicere.* Plut.
	Contra	κατὰ σοφιστῶν λέγειν, *contra Sophistas dicere.*
	Per	ἐπομοσάμενος κατὰ πάντων τῶν Θεῶν. Lucia. *iurans per omnes Deos.*
	Post	κατὰ νώτου, *post tergũ à tergo.*
	In	κατὰ πετρῶν σπείρεις, *seris in petris.*
κατὰ cum accusatiuo	Sub	ἔδυ κατὰ τῆς γῆς, *sub terram descendit.*
	Secundum	εὐαγγέλιον κατὰ Ἰωάννην, *Euangelium secundum Ioannem.*
	Iuxta	ὁ κατὰ τοὺς ἐκεῖ. Thuc. *qui iuxta illos erat.*
	Pro	κατ' ἀξίαν, *pro dignitate.* κατὰ δύναμιν, *pro viribus.*
	In	κατ' ἀγορὰν, *in foro.*
	A	κατὰ νῶτον, *à tergo.*
	Per	καθ' αὑτὰ, *per se,* κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens.*

ΥΠΕΡ.

ὑπὲρ cum accusatiuo	Supra Super	ἔστη ὑπὲρ κεφαλῆς, *supra caput astitit.* ὑπὲρ γῆς. Plato, *super terram.*
	De	ὑπὲρ ἧς διαλέξομαι ἐν οἰκείῳ τόπῳ. Halicarn. *de qua dicam proprio loco.*

ὑπὲρ

	Vltra, vel ſupra	ὑπὲρ τῶν κήπων ὄρος κεῖται. Herod *vltra vel ſupra hortos mons eſt.*
	Pro	ὑπὲρ ἐμοῦ, *pro me,* ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis.*
ὑπὲρ cum accuſatiuo	Supra Vltra	τοὺς Χαλδαίους ὑπὲρ τὸ ἑκατὸν ἔτη βιοῦν λόγος. Luci. *fama eſt Chaldæos ſupra vel vltra centũ ãnos viuere.*
	Per	ὑπὲρ ἅλα ναυτίλλεσθαι, Apoll. *nauigare per mare.*
	Præter.	ὑπὲρ μόρον, *præter fatum.* Homer.

Genitiuum datiuum & accuſatiuum habent ſex iſtæ præpoſitiones, πρὸς, παρὰ, ὑπὸ, ἐπὶ, ἀμφὶ, περὶ.

ΠΡΟΣ.

πρὸς cum genitiuo	A, ab	πρὸς θεοῦ τὰ ἀγαθά, *à Deo ſunt bona.*
	Ex, de	ἔπεσε πρὸς οὐρανοῦ, *cecidit ex cœlo.*
	Coram	πρὸς θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἀναίτιος. Syneſius, *innocens coram Deo & hominibus.*
	Contra	πρὸς ἐχθροῦ ἐπιφέρων τὸν ψῆφον. H lic. *ſuffragium ferens contra inimicum.*
	Per	πρὸς διὸς φράσον, Ariſtoph. *dic per Iouem.*
πρὸς cum datiuo	Ad	πρὸς τούτοις, *ad hæc.* πολλοὶ ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, Lucia. *multi oboli iacebãt ad pedes eiꝰ.*

Contra

	Contra	πρὸς Ἀτρείδαισιν ἥχμασας χέρα. Sophoc. *contra Atridas armasti manum.*
	Apud	πρὸς ἑαυτῷ, Plut. *apud se, secum.*
	Sub	πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου. Lucian. *sub finem vitæ.*

πρὸς cum accusatiuo	Ad	πρὸς τὸν θεόν, *ad Deum*
	Apud	διαβάλλει ἡμᾶς πρὸς θεὸν καὶ πάλιν ἡμᾶς πρὸς ἀλλήλους. S. Chrysost. *traducit nos apud Deum & rursum alteros ad alteros.*
	Præ	σμικρὰ ἂν εἴη πρὸς ταῦτα. Plat. *parua fuerint præ hisce.*
	Contra	πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, *ne calces contra stimulum.*
	Erga	ἡ πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπία, Lucian. *humanitas erga peregrinos.*
	Cum	σπονδὰς ποιεῖται πρὸς αὐτούς. Halic. *fœdus cum illis facit.*
	In	πρὸς τὸ χεῖρον ἐπιῤῥεῖ. S. Basilius *in peius ruit.*
	Inter	τῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας τεκμήριον, Isocr. *amicitiæ inter nos signum.*
	Secundũ	πρὸς τὸ πνεῦμα πέτονται, Aristotel. *volant secundum ventum.*
	Pro	πρὸς τὸ ἀξίωμα, *pro dignitate.*

ΠΑΡΑ.

παρὰ cũ genitiuo	A, ab	παρὰ θεοῦ, *à Deo*, παρὰ πατρός, *à patre.*
	Ex	λέγειν ταῦτα παρ' ἐμοῦ. Xenoph. *hæc illi ex me dicere.*

Præ,

	Præ, supra	ἔχει τιν' ὄγκον Ἄργος ἑλλήνων πάρα. Eurip. *habet Argos aliquid eminentiæ præ cæteris Græcis.*
παρὰ cum datiuo	Apud	παρ' ἐμοὶ, *apud me,* Homer.
	Inter	παρ' οἴνῳ, *inter pocula,* Sopho.
	In	παρὰ τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις θνήσκειν. Plut. *in ciuilibus bellis mori.*
παρὰ cum accusatiuo	Ad	ἄπιθι ἐς τὴν Φρυγίαν παρὰ τὸν Πριάμου παῖδα. Lucian. *Abi in Phrygiam ad filium Priami.*
	Apud, cū	ἀεὶ κολοιὸς παρὰ κολοιὸν, *graculus semper est apud graculum, vel graculus cum graculo facile congregatur.*
	Iuxta	παρὰ τὴν ὁδὸν, *iuxta viam.*
	Præter	παρὰ τὴν φύσιν, *præter naturā.*
	Inter	παρὰ τοὺς κινδύνους, *inter pericula.* Halicarn.
	Propter	παρ' οὐδὲν ἕτερον, *propter nihil aliud.* παρὰ τί; Demosth. *Quamobrem.*
	Contra	παρὰ πάντα τὰ δίκαια, *contra omnia iura.*

ΥΠΟ.

ὑπὸ cum genitiuo	Sub	ὑπὸ χιτῶνος, *sub tunica.*
	A vel ab	ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταναλίσκεται, *ab igne consumitur.*
	Ex, de	ὑπὸ συνθήματος, *de composito, de compacto.*
	Per	ὑπὸ κήρυκος προηγόρευσε τοῖσιν Ἴωσι, Herod. *per præcones edixit Ionibus.*
	Præ	ὑπὸ σπουδῆς, *præ diligētia,* Halic.

ὑπὸ cum datiuo	Sub	ὑπὸ τῇ λεοντῇ γελοῖον τινα πίθηκον περιστέλλει, Lucian. *sub pelle leonina ridiculam tegit simiam.*
	Corā	λέγω δὲ ὡς ὑπὸ θεῷ μάρτυρι. *dico vero tanquam coram Deo teste.*
	Ex	ὑπὸ τραύματι ἐταλαιπώρει. Halicarn. *male habebat ex vulnere.*
	Cum	ὑπὸ φωτὶ πολλῷ. Plutarchus, pro μετὰ φωτὸς πολλοῦ, *multo lumine.*

ὑπὸ cum accusatiuo	Ad	αἴσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, *omnium turpissimus ad Troiam venit.* Homer.
	Infra	ὁ μὲν ὑπερθεν, ὁ δ' ὑπ' αὐτὸν, Lucian. *alter supra, alter infra ipsum.*

ΕΠΙ.

ἐπὶ cum genitiuo	Super	ἐφ' ἵππου χρυσοχαλίνου. Xenoph. *super equo aurei freni.*
	In	ὀρχούμενος ἐπὶ τῶν θεάτρων, *saltās in theatris.*
	Corā	ἐπὶ τοσούτων μαρτύρων, Lucian. *coram tot testibus.*
	Sub	ἐπὶ κρόνου. Lucian. *sub Saturno.*
	Ad	ἐπὶ σκοποῦ τοξεύειν. Lucian. *ad scopum iaculari.*
	Versus	ἐπ' οἴκου, *domum versus.*
	Penes	ἐπὶ τοῦ δήμου ἔστω, *sit penes populum* Halicarn.
	Per	ἐπὶ σχολῆς *per otium.*
	Cum	ἐπὶ πολλῆς ἐξουσίας. Halicar. *magna cum potestate.*
	Erga	ἐπὶ τῶν δεομένων πρᾶος. Chrys. *mitis erga egentes.*

ἐπὶ cum datiuo	Super	ἐπὶ πίνακι, *super tabula seu disco.*
	Penes	ἐπὶ σοὶ ἔσται. *penes te erit.* Xenoph.
	Ad	ἦν ἐπὶ ποταμῷ. Thucyd. *erat ad fluuium.*
	In	ἐγένοντο ἐπὶ τῇ πόλει κινήσεις. Halicarn. *seditiones ortæ sunt in vrbe.*
	Post	τίς πρῶτος, τίς δ' ἐπὶ πρώτῳ; *quis primus, & quis post primum?* Eurip.
	Præter	ἐπὶ τῷ σίτῳ; οὐδὲν ἄλλο ἔχειν. Xenoph. *præter victum nihil aliud habere.*
	Propter	ταῦτα ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει, Xenoph. *hæc facere propter lucrum.*
ἐπὶ cum accusatiuo	Super Supra	καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν, *sedere super focum,* Thuc. πλατεῖα δὲ ῥὶς ἐπὶ χείλη. Theocrit. *latus nasus supra labra.*
	Ad	ἐπὶ δεξιάν, *ad dextram.*
	Versus	ἐπ' οἶκον, *domum versus.*
	Aduersus Contra	ἐπὶ τοὺς ἀνταγωνιστὰς ἀσκεῖν, Isocrat. *exercere contra Antagonistas.*
	In Propter	ἐπὶ γλῶσσαν ἐλθεῖν, *in buccam venire.* Halicarn. πρός σε ἦλθον ἐπ' ἀργύριον, Xenoph. *veni ad te propter argentum.*

ΑΜΦΙ.

	Circum	τοῖς ἀμφὶ ταύτης τῆς πό- οἰκέουσι, Herodot. *iis qui circum hanc ciuitatem habitant.*

ἀμφὶ

ἀμφὶ cum genitiuo	De	ἀμφὶ δὲ οὐρανοῦ ἡ γραφὴ, Lucian. *sermo erit de cœlo.*
	Per	φοίβου ἀμφὶ καὶ αὐτῆς εἵνεκεν ἥρας λίσσομαι. Apoll. *per Apollinem, & ipsius Iunonis gratia te rogo.*
ἀμφὶ cum datiuo	Circum	ἀμφὶ πόδεσσ' ἀρήρισκε πέδιλα, Homer. *circum pedes aptabat talaria.*
	Apud	ἀμφὶ σοὶ, Sophoc. *apud te, vel tecum.*
	Propter	ἀμφὶ αὐτῇ, *propter ipsam.* Lucian.
	Contra	ἀμφ' ὀδυσσεῖ, Sophocl. *contra Vlyssem.*
ἀμφὶ cum accusatiuo	Circa	ἀμφὶ δὲ μὲν ζῶα μυρία ἕστηκεν, Lucian. *innumerabiles circa illum steterunt bestiæ.*
	Circiter	ἡμέρα ἤδη ἀμφὶ τὸ λυκαυγὲς, Lucianus, *circiter diluculum est.*
	De	νόμους τοὺς ἀμφὶ θυσίαν κατασταθέντας. Halicarn. *leges de sacrificiis latas.*

Articulus pluralis cum præpositione περὶ vel ἀμφὶ idem est quod proprium nomen solum. οἱ περὶ πρίαμον, *Priamus.* οἱ περὶ παῦλον, *Paulus.* οἱ ἀμφὶ πρίαμον καὶ πάνθουν. Hom. *Priamus & Panthous.* οἱ ἀμφὶ, οἱ περὶ πρίαμον, & similia construuntur cum verbo singulari, eo quod sub voce plurali vnum tantum significet hæc locutio. Herodot. καὶ οἱ ἀμφὶ πεισίστρατον ἀφικνέεται ἐπὶ παλληνίδος ἀθηναίης ἱερὸν, καὶ ἀντία ἔθετο τὰ ὅπλα. *Pisistratus venit ad templum Palla-*

dis

dis Palleniæ, & è regione posuit arma. Vide Budæum.

Aliquando tamen significant istæ locutiones comitatum vel socios, οἱ περὶ καίσαρα, *qui sunt partium Cæsaris.* οἱ περὶ τὸν παῦλον, Actor. 13. *socii Pauli.*

ΠΕΡΙ.

Περὶ cum genitiuo.	Circum	περὶ σπέους, *circum speluncam*, Homer.
	De	περὶ ψυχῆς, *de anima.*
	Pro	περὶ ψυχῆς μάχεσθαι, *pro vita pugnare*, Plato.
	A, ab	μεγάλην εἴληφε περὶ θεῶν τιμήν, Lucia. *honorem magnum accepit à Diis.*
	Propter	περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας, Ioan. 10. *non ob vel propter bonum opus lapidamus te, sed propter blasphemiam.*
	Præ	περὶ ἁπάντων. Halicarn. *præ omnibus.*
Περὶ cum datiuo	Apud	πολλοὺς ἀπέβαλον περὶ ταῖς ἁμάξαις, Plut. *multos amiserunt apud currus.*
	Circa	περὶ τῇ δέρῃ, *circa collum.* Xenoph.
	Ex	ὃν περὶ κῆρι φίλει, Hom. *quem ex animo amabat.*
	Apud	καταράτους ἀνθρώπους εἶχε περὶ αὑτόν, Lucia. *habebat apud se homines execrandos.*
	Ad	ὡς ἔλθοιμι περὶ τοὺς φιλοσόφους, Lucian. *quomodo venissem ad Philosophos.*

περὶ cum accusatiuo	In	τὰ περὶ ψυχήν, *illa quæ sunt in animo.*
	Circa	περὶ τὰ φοβερὰ ἡ ἀνδρεία, *fortitudo est circa terribilia*, Arist.
	Circiter	περὶ ἀρίστου ὥραν, Xenoph. *circiter horam prandii.*
	Erga	χρηστὸς περὶ ἡμᾶς ἀνήρ, Halicar. *vir benignus erga nos.*

Et hæc de præpositionibus.

CAPVT XIX.

DE CONSTRVCTIONE CONIVNCTIONVM.

I. Coniunctiones copulatiuæ & disiunctiuæ eodem fere modo, quo apud Latinos construuntur.

II. Construitur εἰ cum quouis tempore indicatiui modi: cum præsenti, εἰ ἐθέλεις ἐπέραστος εἶναι. Lucian. *si vis amabilis esse.*

Cum imperfecto, εἴπερ καὶ ἐβούλετο καὶ ἐδόκει αὐτῷ συκοφαντεῖν. Isocr. *Si velit & statuerit Sycophantam agere.*

Cum perfecto, πειρᾷς μου εἰ μέμηνα. ad verbum. *Tentas me, si insaniui. tentas me num insaniã.* τινὲς ἐκείνους εὐλογοῦσι, οὓς οὐκ ἴσασι εἰ γεγόνασι. Isocr. *quidam illos laudant, quos vtrum nati sint, ignorant.*

Cum futuro: οὐκ οἶδα εἰ γαμήσεις ἔτι. Lucian. *nescio*

nescio num ducturus sis amplius vxorem.

Cum Aoristo secundo, εἰ καί τι ἥμαρτον σύγχνωθί μοι. Lucian. *Si quid peccaui, ignosce mihi.*

Cum Aoristo primo, ἀγνοῶ εἰ ἔτυψεν, *ignoro num verberauerit.*

III. Coniungitur eadem particula εἰ cum optatiuo & subiunctiuo, τῶν ξένων εἰ μετάσχοιεν. Demosth. *si peregrinorum essent participes.* εἴσῃ εἴ σοι προσέλθῃ μόνον. Lucian. *si tantum te adierit.* εἰ δέκε μὴ δώσωσι. Homer. *si non dederint.*

IV. Eosdem modos habent ἐὰν, ἢν, ἂν, ἵνα, ὡς, ὥστε, ὅπως, μὴ, & similes coniunctiones, quarum exempla passim sunt obuia. κἂν, vero fere coniunctiuo gaudet.

V. Coniunctio ἂν dupliciter vsurpatur: primo δυνητικῶς, id est, ita vt potentiam & facultatem significet, secundo ἀοριστολογικῶς, id est, indefinite & indeterminate. Primo modo cōiungi potest cum omnibus modis & temporibus: secundo modo plerumq; coniunctiuum habet. ὅ, τι, ἂν λέγῃς, *quodcunque dicas.* ὅσῳ ἂν διαφέρῃς, *quantumcunque differas.* Interdum etiam optatiuum, ἡνίκ' ἂν εἰπεῖν τι κατὰ τούτων δέοι, *cum oporteret quidpiam dicere aduersus hæc.* De particula ἂν multa iam diximus lib. I.

VI. ὅταν, ὁπόταν, *quando, siquando*, ἐπὰν, ἐπειδὰν, *postquam*, si cum coniunctiuo plerumque iunguntur. Demosthenes χαίρομεν ὅταν τις ἐπαινῇ τοὺς προγόνους ἡμῶν, *gaudemus cum quis*

maiores nostros laudat. ἐπεὶ & ἐπειδὴ, *postquam*, indicatiuum habent.

ὅτι, *quod*, habet indicatiuum & coniunctiuum. Neq; vero plura dicenda videntur de coniunctionibus, cum earum cognitio non tam regulis quam vsu & lectione egeat, vixq; fieri possit, vt iuuentus minutias illas Grammaticas de coniunctionibus memoriæ mandet.

CAPVT XX.

DE FIGVRATA CONSTRVCTIONE.

SIcut apud Latinos, ita apud Græcos tres virtutes oratio habere debet, vt emendata, vt dilucida, vt ornata sit, quibus virtutibus totidem vitia contraria sunt: Nam emendatæ, barbara: dilucidæ, obscura; ornatæ, inornata aduersatur.

DE SOLOECISMO ET Barbarismo.

De his, cum ab Emmanuele optime explicentur, nihil hic dicendum arbitramur, maxime cum iisdem ferme modis solœcismus & barbarismus committantur in Græca lingua, quibus in Latina. Illud vero diligenter cauendũ est, ne si quid in auctoribus Græcis occurrat, quod solœcismi vel barbarismi speciem præ se ferat, cõtinuo solœcismum barbarismumve ab illis admissum pronuntiemus. Non enim solœcismi sed solœcophane dici solent illa, quæ non ex ignorantia, sed de industria, vel ex quadam docta incuria à magnis auctoribus sunt scripta;

ſcripta; cuiuſmodi plurima occurrunt apud Græcos; vt illud Ariſtotelis, οἱ δὲ οὐδὲ τοῖς συνδιαμένουσιν ἐν ταῖς ἀτυχίαις ἀξιοῦσι πιστεύειν, ὡς ἐξαπατῶντας καὶ προσποιουμένους, *alii ne iis quidem qui in rebus aduerſis nobiſcum permanent credendum exiſtimant, quippe qui ſimulent & decipiant.* Recta conſtructio expoſcebat, ὡς ἐξαπατῶσι καὶ προσποιουμένοις, Demoſth. οὐ προσεκτέον ὑμῖν ἐστι τοῖς τούτων λόγοις, εἰδότας, ὅτι ἐκ πάντων τούτων, &c. pro εἰδόσι: *non attendendum eſt horum ſermonibus à vobis, ſcientes, pro ſcientibus*, Iſocr. δεόμεθα οὖν ὑμῶν ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μετ᾽ εὐνοίας ἀκροάσασθαι τῶν λεγομένων, ἐνθυμουμένους, vbi à genitiuo ad accuſatiuum contra communem regulam fit tranſitus. Cuiuſmodi alia multa exempla adfert Budæus, vt ſunt illa Sophoclis de duabus ſororibus loquẽtis, ἴδεσθε τώδε τὼ κασιγνήτω, *videte duas ſorores*, pro τὰς κασιγνήτας, & paulo poſt, ψυχῆς ἀφειδήσαντε, *vita prodiga*, pro ἀφειδησάσα, & τηλικοῦτος, epithetum Electræ, & alia multa: Sed his omiſſis, figuras, quæ & verbis & orationi ornamento ſunt, breuiter attingamus, quia Græcis fere cum Latinis ſunt communes.

ENALLAGE.

Enallage eſt cum vna orationis pars pro alia, vel attributum pro attributo ponitur; cuius rei paſſim iam in toto hoc libro, & in primo quoq; varia exempla adduximus. Nam & nomina pro aduerbiis, & hæc cum articulo pro illis, & præpoſitiones cum articulo pro nomine, &. ſæpe quamuis ſine articulo, pro aduerbiis, itemq; participia pro nominibus vſurpantur. Modus item cum modo permutatur, & ſæpe tempus cum tempore, itemq; genus cum genere, & caſus cum caſu, & numerus cum numero.

ECLIPSIS.

Eclipsis figura est, cum id, quod in oratione deest, foris omnino petendum est, ζηλῶ σε τοῦ νοῦ, τῆς δ' δειλίας στυγῶ. Sophoc. assumendum est foris ἕνεκα. *Laudo te ob istam mentem, ast ob timiditatem odi*, ὡς βαθὺν ἐκοιμήθης ὦ τέκνον, subauditur, ὕπνον. Lucia. *quam profundum dormiuisti somnum, ô fili.*

Patet autem hæc figura latissime, ac fere per omnes orationis partes manat, sicut apud Latinos, eiusq; satis multa exempla passim toto hoc libro sunt allata.

ZEVGMA.

Zeugma figura est, cum id, quod in oratione desideratur è proximo assumitur, manente eodem genere, numero, casu, cæterisq; attributis. Isocr. τελαμῶνος μὲν Αἴας καὶ τεῦκρος ἐγεννήθη, πηλέως δ' Ἀχιλλεύς. *Telamone Aiax & Teucer natus est, Peleo autem Achilles.*

Quod si quis hoc exemplum omnibus numeris explere velit, dicendum erit: τελαμῶνος μὲν ἐγεννήθη Αἴας, καὶ τελαμῶνος ἐγεννήθη τεῦκρος, καὶ πηλέως ἐγεννήθη Ἀχιλλεύς.

Anacreon. ἱερὸν γάρ ἐστι Φοίβου κιθάρη, δάφνη τρίπους, *sacra enim Phœbo sunt cithara, laurus, tripus.* Oratio hæc explenda est, vt prior, repetitione verbi ἐστὶν ad singulos rectos.

SYL-

SYLLEPSIS.

Syllepsis est, cum id, quod in oratione deest, è proximo assumitur, mutato tamen genere, aut numero, aut casu, aut aliquo è cæteris accidentibus. Hom. παρθενικαὶ δὲ καὶ ἠΐθεοι ἀπαλὰ φρονέοντες, *virgines & iuuenes teneri.* πενία καὶ πλοῦτος ἀναγκαῖα τῷ βίῳ. Theodor. *Paupertas & diuitiæ necessaria sunt vitæ.* Ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα εἵαται μεγάροις ποτιδέγμεναι. Homer. *vxores & liberi sedent in ædibus expectantes.* ἀὴρ καὶ ὕδωρ καθ' ἑαυτὰ τῇ φύσει λευκά, Aristot. *aër & aqua suapte natura alba sunt.* αἱ δυναστεῖαι, καὶ ὁ πλοῦτος διὰ τὴν τιμὴν ἐστιν αἱρετά, Arist. *potestas & diuitiæ propter honorem expetenda sunt.* ἐλπὶς καὶ φόβος ἐν φίλοις ἀξιόπιστα, Brutus Epist. *Spes & metus in amicis sunt fide digna.*

ANNOTATIO.

In his similibusq; exemplis vt oratio suis numeris plena sit, necessario genus & numerus mutanda erunt, παρθενικαὶ ἀπαλὰ φρονέουσαι, *teneræ virgines*, καὶ ἠΐθεοι ἀπαλὰ φρονέοντες. ἀὴρ καθ' ἑαυτὸν τῇ φύσει λευκός ἐστι, καὶ ὕδωρ καθ' ἑαυτὸ τῇ φύσει λευκόν ἐστι. Et sic de cæteris.

PROLEPSIS.

Prolepsis est cum dictio aliqua totum significans præcessit, quæ rursum in partibus intelligitur neque explicatur, ὁμοπάτριοι πολλάκις ἐκ μιᾶς γαστρὸς, ὁ μὲν ἄρσην, ἡ δὲ θήλεια γίνονται. Lucian. *Sæpenumero ex eodem patre, eademque matre nascuntur alter masculus, altera fœmina,* τῶν δὲ γυπῶν δύο εἰσὶν εἴδη, ὁ μὲν μικρὸς, ὁ δὲ μεί-

ζων. Arist. *Vulturum duæ sunt species, alius quidem paruus, alius vero maior.* ἔχουσιν ὁ μὲν αἴσθησιν, ὁ δὲ ἐπιστήμην. Arist. *Habent alter sensum, alter scientiam.*

ANNOTATIO.

In his exemplis dictio totum significans est ὁμοπάτριοι, partes ἄρρεν καὶ θήλεια, vbi rursus ὁμοπάτριος ἄρρεν, ὁμοπάτριος θήλεια, dicendum erit, si orationem velis integram efficere; quod etiam in altero exemplo faciendum, ὁ μὲν ἔχει αἴσθησιν, ὁ δὲ ἐπιστήμην.

Et hic finis sit Syntaxeos. Nam quæ orationem inornatam & obscuram reddunt vt Cacophaton, Tautologia, Macrologia, Pleonasmi, Hyperbata cum suis speciebus, studiosus adolescens apud Emmanuelem accurate explicata reperiet, cumq; à Græcis nihil omnino differant, non est quod hic inutiliter repetantur.

EPIGRAMMA,

IN ORATIONEM S. CHRYSOSTOMI, DE PRECATIONE.

Vt penetret nubes ORATIO, *& ardua vincat*
Sidera, remigii pennipotentis eget.
Nam nisi vis grauidam leuet in sublime volucris,
Instar plumbati sidit in ima globi.
Ecquid opus sumptu? quid opus sudore? paratu
Sunt faciles alæ, tu modo, lector, eme.
Quæris vbi prostent? Aureo Chrysostomus ore
Monstrat & est tanti venditor ipse boni.
Perdius & pernox hunc vnum volue, reuolue,
Vnus pro multis, nobilis auctor, erit.
Hic sermo, hic precibus Numen superare docebit,
Hic Graii eloquii suppeditabit opes.

EXERCITATIO GRAMMATICA, IN PRIMAM CONCIONEM S. IOANNIS CHRYSOSTOMI, DE ORATIONE.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Solent nutrices infantibus cibum præmansum in os inserere, vt quem ipsi conterere & commolere non potuissent, ab aliis comminutum accipiant, & in stomachum alimenti gratia traiiciant. Harum exemplum sequuntur Græcæ Grammaticæ scriptores, dum aut Epistolas Græcas, aut orationes, aut poemata, aut fragmenta poematum deartuant, vt sic dixerim, & singula vocabula speciatim enucleant, & quæ qualiave sint minutatim explanant in gratiam Græcæ linguæ studiosorum, quibus, vtpote adhuc tironibus, & iam primum cum Græcis Musis familiaritatem ineuntibus, arduum foret propria industria, & sine duce ad nominum & verborum illorum cognitionem aspirare. Cæterum fructuosam operam iuuentuti hac in re nauarunt cum alii, tum præcipue Clenardus & Antesignanus, ille meditatione in S. Basilii Epistolam ad S. Gregorium Nazianzenum edita; hic vero praxi præceptionum Grammaticarum publicata. Vterq; enim vice præceptoris functus accurate singulorum Thematum originem, significationem, vsumq; demonstrat, vt certum sit, non defuisse quibus ad Græcarum literarum cognitionem, æq; magnum subsidium attulerint Clenardus & Antesignanus, quam quotidianis in scholis Magistri.

Hac igitur vtilitate, quæ ad studiosos redit, ego quoq; permotus, prætermittere non potui, quin secūdæ Institutionum Græcæ linguæ editioni adiicerem vberem & copiosam vocabulorum Græcanicorum explicationem, & in suas origines analysin, delecta eam ad rem elegantissima S. Ioannis Chrysostomi homilia de oratione, duplicíq; interpretatione addita, altera concinniore & liberiore P. Iacobi Pontani, ex Societate nostra; altera adstrictiore, & quæ verbum verbo, quamuis horride & inculte, reddit, nam tyronum quam maxime interest, vt hellenismos, Græcæq; orationis structuram & genium penitius introspiciant, quod aliter fieri nequit, nisi Latina interpretatio, totidem, quot in Græcis repererit, verba reponat, ipsamq; quo ad licet, compositionem demonstret, & quo Græca oratio discrimine à Latina discrepet, perspicue ostendat. Quare prudenter quoq; & vtiliter facere censendi sunt illi Græcarum disciplinarum Magistri, qui auctores Græcos suis auditoribus ad verbum prius interpretantur, quam Latinam, & ab hellenismis nonnihil abeuntem interpretationem adferant. Spero autem hoc auctarium ad Græcas nostras Institutiones adiectum, gratum acceptumq; fore adolescētibus, qui Græcas Musas amant, quos rogatos velim, vt aliquando pro me quoq; id faciant, ad quod in hac sua oratione Chrysostomus tam diserte ac pie nos cohortatur.

ΙΟΑΝΝΟΥ ΤΟΥ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΥ ΠΕΡΙ προσευχῆς λόγος α.

Ἀμφοτέρων ἕνεκα προσήκει τοὺς τοῦ Θεοῦ θεράποντας μακαρίζειν καὶ θαυμάζειν, ὅτι τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας ἐν ταῖς ἁγίαις εἶχον εὐχαῖς, καὶ ὅτι γραφῇ φυλάξαντες τοὺς ὕμνους, καὶ τὰς λατρείας, ἃς τῷ Θεῷ σὺν χαρᾷ καὶ φόβῳ προσέφερον, καὶ εἰς ἡμᾶς διέδωκαν τὸν ἑαυτῶν θησαυρὸν, ἵνα πρὸς τὸν οἰκεῖον ζῆλον πᾶν τὸ ἐπιγινόμενον ἐπισπάσασθαι δυνηθῶσιν.

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI de ſacris precibus,

ORATIO PRIMA.

INTERPRETATIO AD VERBVM.

Vtrorumq; gratia conuenit Dei famulos beatificare & admirari , quod ſpem ſalutis in ſanctis habuerunt precibus, & quod ſcripto cuſtodientes hymnos & cultus,quos Deo cum gaudio & timore adferebant, & ad nos tranſmiſerunt ſuum theſaurum, vt ad proprium zelum omnem poſteritatem trahere poſſent.

INTERPRETATIO IACOBI PONTANI.

Duabus de cauſſis æquum eſt beatos pronuntiare, & admiratione afficere Dei ſeruos; quando & ſalutis ſuæ fiduciam in diuinis precationibus poſuerunt, & hymnos atque cultus, quos æterno Numini adhibere cum exultatione

tione ac tremore consueuerāt, literis custoditos, ad nos velut thesaurum suum transmittentes, posteritatem omnem ad imitationem sui conuertere studuerunt.

[Nota, *litera p significat principium paginæ. m. mediū, seu reliquam partem. l. librum.*]

Ἀμφοτέρων] Genit. pluralis masc. est ἀμφότερος. fœm. ἀμφοτέρα. neut. ἀμφότερον, vt ὁ λόγος, 42. p. l. 1. ἡ μοῦσα 39. m. τὸ ξύλον, 42 p. l 2. *vterq; vtraq; vtrumq;* hinc verbū ἀμφοτερίζω, *in vtramq; partem inclino.* ὁ καὶ ἡ ἀμφοτεροδέξιος, *ambidexter.*

ἕνεκα] aduerb. *propter, gratia, caussa,* regit genitiuum. 94. p. l. 2. poetice εἵνεκα, οὕνεκα, ὥνεκα.

προσήκει] *conuenit, par est, decet,* verbum impersonale, de quo 234. p. l. 1. Porro vt à Latinis personalibus, *conuenio, competo, confero, conduco,* & similibus impersonalia, *conuenit, competit, confert, conducit,* sic à Græco personali προσήκω, *attineo, pertineo,* formatur impersonale προσήκει, *conuenit,* quod S. Chrysostomus in hac oratione sæpe repetit. Componitur προσήκω à præposit. πρὸς & ἥκω, *venio,* secundæ coniugationis barytonæ, fut. ἥξω. qua notione vsurpatur etiam ἵκω fut. ἵξω, à quo sumit sua tempora ἱκνοῦμαι. vide 262. p. participium verbi προσήκει, est προσῆκον, *decorum, id quod decet, officium,* κατὰ τὸ προσῆκον, *vt decet, vt par est.* παρὰ τὸ προσῆκον, *præter decorum,* τὸ προσῆκον ἡμῖν ποιεῖν, *facere quod nostri est officii.*

τοὺς] articulus præpositiuus masculin. accusat. pluralis, 24. m. l. 1.

τοῦ] itidem articulus mascul. genit. singul. ibid.

θεοῦ] genit. sing. ὁ θεὸς, *Deus.* vt ὁ λόγος, θεὰ, *Dea,* vt ἡ μοῦσα.

θεράποντας] accus. plur. quintæ simpl. ὁ θεράπων, *famulus, minister,* interdum *cultor,* vt θεράπων μουσῶν, *cultor musarum,* genit. τοῦ θεράποντος, hinc fœm. θεράπαινα, *famula,* & θεραπαινὶς, τῆς θεραπαινίδος 83. p. l. 1.

μακαρίζειν] infinit. à μακαρίζω, quartæ coniugat. baryt. *beatum prædico, beatifico.* futur. μακαρίσω 123. m.

123.m.l.1. Attice μακαρίζω Aor.1 ἐμακάρισα, præter.act. μεμακάρικα. pass. μεμακάρισμαι. hinc μακαρισμὸς. 212.m.l. 1. *beatitudo*. ὀκτὼ μακαρισμοὶ, *octo beatitudines*. ὁ καὶ ἡ μάκαρ seu μάκαρς, *beatus*, τοῦ μάκαρος, 49. m.l 1. seu μάκαρτος, 53.m.l.1. ἡ μακαριότης, *beatitudo*, τῆς μακαριότητος. 51.m.l.1.

Καὶ] &, coniunctio copulatiua, nusquam non obuia.

θαυμάζειν] infinit. præsens quart. baryt. à θαυμάζω, *miror, admiror*, fut. θαυμάσω. Aor 1. ἐθαύμασα. præter. act. τεθαύμακα, mutato θ præsentis in tenuem τ. 113. p. l.1. τὸ θαῦμα, τοῦ θαύματος, *mirum, admiratio*. 46.p.l.1. ἡ θαυμασιότης, *admirabilitas*. ὁ θαυμαστὸς, *admirabilis*. Regit autē θαυμάζω genitiuum. 51.p.l. 2. hic & alias sæpe accusatiuum.

ὅτι] *quod*, coniunctio.

τὴν] artic. fœm. præpos.

ἐλπίδα] accus. singul. à Recto ἡ ἐλπὶς, τῆς ἐλπίδος, *spes*, quintæ simpl. accus. exit in α, τὴν ἐλπίδα, 44. m.l.1. ἐλπίζω, *spero*, ἀπελπίζω *despero*. ὁ καὶ ἡ εὔελπις, εὐέλπιδος, *qui bene sperat, bona spe fretus*.

σωτηρίας] genit. singul. secundæ simpl. desinit in ας, quia rectus ἡ σωτηρία, *salus*, in α purum exit, 140.p.l.1. ὁ σωτὴρ, *saluator*. τοῦ σωτῆρος, 50.p.l.1. vocat ὦ σῶτερ 57.m.l. 1. verbum est σώζω, *seruo, saluo*, de quo infra σῶστρον *pretium conseruationis & saluationis*, sicut λύτρον, *pretium liberationis*.

ἐν] *in*, præpositio, 237.m.l.1. regit datiuum, 103 p. l.2.

ἁγίαις] dat plur. secundæ simpl. ὁ ἅγιος, ἡ ἁγία, τὸ ἅγιον, *sanctus*. fœm. desinit in α, quia masculinum exit in ος purum. 97.p.l.1. ἁγιάζω, *sanctifico*. quartæ barytonorum; ἡ ἁγιότης *sanctitas*. τῆς ἁγιότητος, 51.m.l.1.

εἶχον] Aorist. 1. vel imperfect. à verbo ἔχω, *habeo*, de quo 260.m.l.1. Augetur per ει, vt & alia nonnulla verba, 104.m.l.1.

εὐχαῖς] datiuus pluralis, vt τιμαῖς, Rectus, ἡ εὐχὴ, *oratio, precatio, votum*. εὔχομαι, *oro, opto*. εὐκτὸς, εὐκταῖος, *optabilis*, εὐκτήριον, *sacrarium, oratorium, locus ad precandum destinatus*.

γραφῇ] Dat. sing. vt τιμῇ, à γραφὴ, *scriptura*, ἁγία γραφὴ, *sacra scriptura*. γράφω, *scribo*, fut. γράψω, *scribam*. prima baryton. præt. act. & med. γέγραφα, inde ablato augmento & α in η mutato, fit γραφὴ, nam & à præterito medio formantur verbalia 214. m. l. 1.

φυλάξαντες] Aorist. 1. particip. à φυλάττω, *seruo, custodio*, quartæ baryt. fut. φυλάξω. Aorist. 1. ἐφύλαξα, præter. act. πεφύλαχα. pass. πεφύλαγμαι Hinc φύλαγμα. 212. m. l. 1. *id quod custoditur*. ὁ φύλαξ, ȣ φύλακος. 48. m. l. 1. *custos*. ἡ φυλακὴ, *carcer, custodia*, communiter dicitur φυλάσσω, sed Attici σ in τ, mutant, 34. m. l. 1. 99. m. l. 1.

ὕμνȣς] vt τοὺς λόγȣς, tertiæ simplicium; ὁ ὕμνος, *hymnus, laus, celebratio*. quæ hymni sit natura & finitio explicat Pontanus noster lib. 2. Instit. poet. cap. 31. ὑμνέω, *laudo, celebro*. fut. ὑμνήσω, vt φιλέω, φιλήσω, 158. p. l. 1.

λατρείας] accus. plur. secundæ simplic. ἡ λατρεία, quod hic *cultum diuinum, soliq; Deo debitum* significat, quæ notio frequens est apud Theologos, quamuis generali significatu idem sit quod *seruitus*. verbum λατρεύω, seruio, sextæ barytonæ. futur. λατρεύσω, 100. m. l. 1. ὁ λάτρης, *famulus, seruus, cultor*. primæ simpl. ἡ λάτρις, λάτριος; *famula, cultrix*, secundæ contractorum.

σὺν] præposit. 237. m. l. 1. regit datiuum 103. m. l. 2. Attice ξὺν. 34. m. l. 1.

χαρᾷ] Dat. sing. secundæ simpl. ἡ χαρὰ, *gaudium*. χαίρω, *gaudeo*, de quo in Inuest. Themat. præt. med. κέχαρα. hinc χαρά. nam à præterito medio fiunt etiam verbalia in α.

φόβῳ] Dat. sing tertiæ simpl. ὁ φόβος, *timor, metus*. φοβέομαι, *timeo, metuo*. fut med. φοβήσομαι. φοβερὸς, *terribilis, metuendus*.

προσέφερον] Imperfect. à προσφέρω, *adfero*, compositum à πρὸς & φέρω, *fero*. de quo vide 220. p. l. 1. & in themat. Inuestig. ἡ προσφορὰ, *oblatio*: ὁ καὶ ἡ πρόσφορος, *commodus, aptus, vtilis*, προσφόρως, *commode, vtiliter*.

εἰς] *in*, præposit. 237. m. l. 1. regit accusatiuum 104. p. l. 2. hic significat Ad. εἰς ἡμᾶς, *ad nos*. dicitur etiam ἐς, ibi.

ἡμᾶς

ἡμᾶς] accuſ.plur.à nominatiuo ἐγώ.92. m l.1.

διέδωκαν] Aoriſt 1. Act.à διαδίδωμι, *diſtribuo, tranſmitto, trado.* οἱ ἅγιοι πατέρες διέδωκαν εἰς ἡμᾶς τοῦτο τὸ δόγμα. *Sancti patres tradiderunt nobis*, vel, *tranſmiſerunt ad nos hoc dogma.* Eſt autem tertiæ coniugationis verborum in μι, & componitur ex præpoſitione διὰ, cuius ſunt variæ ſignificationes tam intra quam extra compoſitionem. 116.p.l.1. & à verbo δίδωμι, *do.* 20. m.l.1. futur. δώσω, διαδώσω, Aoriſt.1. ἔδωκα, διέδωκα, per κ, 118. m.l.1.200.m.l.1. hinc διάδοσις, *traditio, quæ per manus fit.*

ἑαυτῶν] Gen.plur.pronomen compoſit.caret nominatiuo ſingul in genitiuo ἑαυτοῦ, αὑτοῦ, in plurali ἑαυτῶν, & σφῶν αὐτῶν, eſtq; omnium perſonarum, vt habes 97.m.l.1.

θησαυρὸν] vt τὸν λόγον. ὁ θησαυρὸς, *theſaurus.* θησαυρίζω, *theſaurizo, theſauros colligo.*

ἵνα] *vt*, coniunctio.238 m.l.1.

πρὸς] *ad*, præpoſ.237.m.l.1. Quos caſus regat, & qua ſignificatione, vide in Syntaxi 107.m.l.2.

οἰκεῖον] vt τὸν λόγον, Rectus, ὁ οἰκεῖος, *domeſticus, familiaris*, adiectiuum ab οἶκος, *domus.* hic ſignificat *proprium, ſuum, vt poſteros ad ſuum ſeu proprium zelum ſeu ardorem incitarent.*

ζῆλον] vt τὸν λόγον, ὁ ζῆλος, *zelus, æmulatio.* ζηλόω. vt δηλόω 176.m.l.1. *æmulor, ſuſpicio.* futur. ζηλώσω, Aor.1. ἐζήλωσα. Accipitur in bonam & in malam partem, vt & *zelus*, quæ vox aliquando inuidiam ſignificat. ὁ ζηλωτὸς, *æmulandus, ſuſpiciendus, inuidendus.* formatur ζηλωτὸς à tertia perſona præt.paſſ. ἐζήλωμαι, ἐζήλωσαι, ἐζήλωται, vide 213.m.l. 1.

πᾶν] *omne*, generis neutri, πᾶς, παντὸς, πᾶσα, πᾶν, 50. m.l.1 80.m.l.1.cõpoſita ἅπας, σύμπας, *omnis, vniuerſus.*

ἐπιγινόμενον] particip.præſent. temp. ab ἐπιγίγνομαι ſeu ἐπιγίνομαι, quaſi dicas, *poſt naſcor* ſeu *ſupernaſcor, poſtea exiſto.* vnde οἱ ἐπιγινόμενοι, *poſt nati* ſeu *poſteri.* Et τὸ ἐπιγινόμενον, *quod poſtea naſcitur*, vno verbo, *poſteri* ſeu *poſteritas*, vſurpant enim Græci concreta neutra

pro

pro abstractis, τὸ νέον, pro ἡ νεότης. *iuuentus*. τὸ εὐσεβὲς pro ἡ εὐσέβεια, *pietas*, & id genus alia, de quibus in Syntaxi. 33.m.l.2. Componitur verbum illud ex præpositione ἐπὶ & γίγνομαι seu γίνομαι, de quo 259.p.l.1.

Ἐπισπάσασθαι.] Aorist.1. infinit. verb.med. vt τύψασθαι, ab ἐπισπάω, *attraho, torqueo, circumuoluo.* componitur ab ἐπὶ & σπάω. 160.pl.1. fut. σπάσω. Aor.1. ἔσπασα, ἔσπακα, ἔσπασμαι, hinc σπασμός. Aor.2. ἔσπον, habet enim hunc Aoristum. vide 160.p.l.1.

δυνηθῶσι] tertia persona Aorist.1.pass. coniunctiui modi à deponenti verbo δύναμαι, *possum, valeo*, secundæ coniugationis verborum in μι, fit autem tempus illud quasi à δυνάω, δυνήσω, δεδύνηκα, δεδύνημαι. Aorist. 1. valde vsitatus, ἐδυνήθην seu ἠδυνήθην. *potui, valui*, Aorist.1.coniunct. ἐὰν δυνηθῶ, vt τυφθῶ, *si valuero*, plural. ἐὰν δυνηθῶσι. 138.m.l.1. Sunt autem apud Græcos, vt & apud Latinos multa verba terminatione quidem passiua, at significatione actiua. & ex his vnum etiam est δύναμαι, cuius verbale; ἡ δύναμις, τῆς δυνάμεως, *potentia, virtus.* ὁ δυνάστης, *Dynasta, Princeps.*

Διαβαίνειν γὰρ προσήκει τὸ τῶν διδασκάλων ἐπὶ τοὺς ὁμιλοῦντας τρόπον, καὶ τοὺς τῶν προφητῶν μαθητάς, μιμητὰς προσήκει φαίνεσθαι τῆς ἐκείνων δικαιοσύνης, ἵνα πάντα τὸν χρόνον ταῖς προσευχαῖς καὶ τῇ τοῦ θεοῦ λατρείᾳ συζῶμεν, τοῦτο ζωήν, τοῦτο ὑγείαν καὶ πλοῦτον, τοῦτο πέρας ἀγαθῶν εἶναι νομίζοντες τὸ προσεύχεσθαι τῷ θεῷ μετὰ καθαρᾶς καὶ ἀδιαφθόρου ψυχῆς.

Transire enim conuenit Præceptorum ad discipulos mores, & Prophetarum discipulos, imitatores conuenit apparere illorum iustitię, vt omni tempore orationibus, & Dei seruitio, & meditationi conuiuamus, hoc vitam, hoc sanitatem, hoc diuitias, hoc terminum bonorum esse arbitrantes orare Deum cum pura & incorrupta anima.

Magistrorum namq; mores par est in eos immigrare, qui cum illis consuetudine coniunguntur, Prophetarumq; discipulos eorundem iustitiam æmulari, vt quam longum est

est æuum nostrum, ad preces factitandas, colendumq́ Deum, & ad pietatis exercitationem castis atq́ incorruptis mentibus incumbentes, hanc adeo vitam, hanc incolumitatem, hasce diuitias nostras, hoc extremum bonorum arbitremur.

διαβαίνειν] Infin. præsens à διαβαίνω, *transeo, pertranseo*, compositum ex διὰ & βαίνω, *vado*, fut. βήσω à βάω. διαβήσω, præterit. act. βέβηκα, διαβέβηκα, *transii, peruasi*, de quo in Grammat. 219. p.l.2.28. m.l.1.

γὰρ] *enim*, coniunctio.

τὸν τῶν διδασκάλων τρόπον] Inter articulum & dictionem, cum qua articulus construitur, eleganter interiiciunt Græci dictionem aliam cum suo articulo, vt in allato exemplo vides, & in hoc: τὰ τῶν φίλων κοινὰ, *amicorum omnia communia*, pro, τὰ κοινὰ τῶν φίλων. τοὺς τῶν φίλων παῖδας, *amicorum liberos*, pro, τοὺς παῖδας τῶν φίλων. similia passim in omnibus auctoribus occurrunt, & in hac ipsa Chrysostomi oratione.

διδασκάλων] Gen. plur. ὁ διδάσκαλος, *doctor*, à διδάσκω, *doceo*, ἡ διδασκαλία, *doctrina*. τὸ δίδακτρον, *merces, quæ doctori penditur.*

ἐπὶ] præposit. varia habet significata, & varios casus regit 111. p.l.2.

ὁμιλοῦντας] Accus. plur. particip. præsent. temp. ab ὁμιλέω, *versor, conuersor consuetudinem habeo* fut ὁμιλήσω, præt. act ὡμίληκα. Hinc ὁμιλία, *conuersatio, consuetudo, congressus, colloquium*, quod nomen transtulit etiam vsus ad conciones & orationes in conuentibus recitari solitas, vnde homiliæ sanctorum Patrum. ὁμιλεῖν τῷ διδασκάλῳ, *versari & agere cum præceptore.* Nam verba conuersandi datiuum regunt. 163. p.l.2. ὁ ὁμιλητὴς, *discipulus, familiaris.*

τρόπον] ὁ τρόπος. tertiæ simplic. significat *morem* seu *mores*, à τρέπω, *verto, muto*, primæ coniugat. baryton. præter. med. τέτροπα, nam dissyllaba, quæ in futuro habent ε, mutant illud in præterito medio in ο, vt habes. 150. m. l. 1. hinc verbale τροπὴ, *conuersio*, & ὁ τρό-

 πος,

τρόπος, *mos*, & Latine, *tropus* apud Grammaticos & Rhetores.

προφητῶν] Genit. plur. primæ simpl. ὁ προφήτης, *Propheta*, vocatiuo ὦ προφῆτα. 37 p.l.1. fit à πρόφημι, *prædico*, *prophetizo*, compos. ex πρὸ & φημὶ, de quo 233 p.l.1. ἡ προφῆτις, τῆς προφήτιδος, *fœmina fatidica, prophetissa*. formantur enim à masculinis substantiuis etiam fœminina substantiua, 82 p.l 1.

μαθητὰς] Accus. plur. primæ simpl. ὁ μαθητὴς, *discipulus*, à μανθάνω, *disco*, vt Latine, *discipulus* à *disco*. de μανθάνω. 215. m.l.1. 263. p.l.1.

μιμητὰς] Accus. plur. primæ simpl ὁ μιμητὴς, *imitator*, à verbo μιμέομαι, *imitor*, primæ coniug circumflex. quod accusatiuum regit. 64. p.l. 2. Hinc Latine mimus, pantomimus, *histrio, gesticulator, omniumque ridiculus imitator*. ἡ μίμησις, τῆς μιμήσεως, *imitatio*, ἡ μιμὼ, τῆς μιμόος μιμοῦς. quartæ declin. contract. *simia*; Appellatur hoc nomine, quod actiones hominis imitetur.

φαίνεσθαι] Infin. præsens, pass. vocis vel mediæ, à φαίνομαι, *videor, appareo*. act. est φαίνω cuius varia sunt significata; fut. φανῶ. 99 m.l.1. præter. act. πέφαγκα, 115. p.l. 1. pass. πέφασμαι, 137. m.l. 1.

ἐκείνων] Gen. plur. vt τῶν λόγων, ἐκεῖνος, ἐκείνη, ἐκεῖνο, *ille*, pronomen demonstratiuum. 96 p.l 1.

δικαιοσύνης] vt τῆς τιμῆς, ἡ δικαιοσύνη, *iustitia*. ὁ δίκαιος, ἡ δικαία, τὸ δίκαιον, *iustus*. comparatiuus. ὁ δικαιότερος, ἡ δικαιοτέρα, τὸ δικαιότερον. per ο, non per ω. 87. p.l. 1.

χρόνον] ὁ χρόνος, *tempus*. tertiæ simpl. ὁ χρονικὸς, *temporalis, ad tempus pertinens*. τὰ χρονικὰ, libri, vbi annotatur quo tempore quidq; gestum sit.

προσευχαῖς] vt τιμαῖς, Dat. plur. ἡ προσευχὴ, idem quod εὐχὴ, oratio, precatio.

μελέτη] vt τιμὴ, ἡ μελέτη. *meditatio, cura, exercitatio, studium*. Tritum est illud vnius ex septem Sapientibus μελέτη τὸ πᾶν. *exercitatio est omnia*. μελετάω, *meditor*, vt τιμάω, 168. p.l.1. fut. μελετήσω.

συζῶ-

συζῶμεν] præsent.temp.coniunct.modi à verbo συζάω, ex σὺν & ζάω, *viuo*, ad verbum ; *conuiuo* . *simul viuo*. futur. ζήσω, συζήσω, Aorist. 1. ἔζησα, συνέζησα. vide 175. m. l. 1. Quomodo mutetur præpositio σὺν in compositione, inuenies. 108. m. l. 1. construitur autem verbum συζῶμεν hic cum datiuo vi præpositionis 64. m. l 2. Porro vt Græci in compositione suas præpositiones varie mutant, ita & Latini suas , hinc *colligo, colludo, corrado*; pro, *conligo, &c. comedo, combibo, compono*, pro, *conedo, &c. traiicio, trano, trado*, pro, *transiicio, pelluceo*, pro, *perluceo*, *immitto, illigo*, pro , *inmitto, &c. offundo*, pro, *obfundo, occurro, affero*, & sic in cæteris.

τοῦτο] pronomen demonstratiuum. οὗτος, αὕτη, τοῦτο, *hic*, *hæc, hoc* 95. m. l. 1.

ζωὴν] ἡ ζωὴ, *vita*, secundæ simpl.

ὑγείαν] vt τὴν μοῦσαν, ἡ ὑγεία, *sanitas*, dicitur etiam ὑγίεια. ὁ καὶ ἡ ὑγιὴς, καὶ τὸ ὑγιὲς *sanus*. Accus. τὸν ὑγιᾶ, 62. p. l. 1. ὑγιαίνω, *sanus sum*, quintæ coniugat. baryt.

πλοῦτον] vt τὸν λόγον. ὁ πλοῦτος, *diuitiæ*. πλουτέω, *diues sum*. fut. πλουτήσω, vt φιλέω, φιλήσω. ὁ πλούσιος, *diues*. πλουσίως, *opulenter , abunde*, ὁ πλοῦτος, *Plutus Deus diuitiarum*, item, *diuitiæ*.

πέρας] *finis, terminus*, generis neutri; vt τὸ κρέας, quintæ declin. contractor. τοῦ πέρατος, πέρατος, πέρως.

ἀγαθῶν] vt τῶν ξύλων. τὸ ἀγαθὸν. *bonum*. ὁ ἀγαθὸς, *bonus*, comparat. ἀρείων, βελτίων. 87. m. l. 1.

εἶναι] infinitiuus, præsens ab εἰμὶ, *sum* , quod habes 221. p. l. 1.

νομίζοντες] particip. præsens temp. à νομίζω, *puto, arbitror*. quartæ coniug. baryt. fut. νομίσω. *Attice* νομιῶ 123. m. l. 1. præt. νενόμικα. pass. νενόμισμαι Hinc νόμισμα. *numisma*, quod Principis aut Magistratus arbitrio ita cusum sit & signatum.

τὸ προσεύχεσθαι] Infin. cum articulo supplet vicē nominis 6. p. l. 2. Nam τὸ προσεύχεσθαι, idē est ac ἡ προσευχὴ, *oratio*. Cōponitur à πρὸς & εὔχομαι, *oro, precor*. fut. med. εὔξομαι, imperfect. εὐχόμην. Attice ηὐχόμην, mutant enim Attici ευ in ηυ. 105. m. l. 1. Regit autem προσεύχομαι, vt &

 simplex

ſimplex εὔχομαι datiuum 78.m.l.1.εὔχου τῷ Θεῷ ὑπὲρ ἐμοῦ, *precare Deum pro me.*

Μετὰ] Præpoſit.231.m.l.1 variam habet ſignificationem & conſtructionem.191.p.l.1.

καθαρᾶς] Gen. ſing.ſecundæ ſimpl.καθαρὸς, *purus*, ἡ καθαρὰ, non καθαρή.79.p.l.1.τὸ καθαρόν.

ἀδιαφθόρου] vt τοῦ λόγου, ὁ καὶ ἡ ἀδιάφθορος, καὶ τὸ ἀδιάφθορον, *incorruptus*. Sub vna terminatione comprehendit duo genera, quippe compoſitum. 79.m.l.1.imo decompoſitum, ex primitiua particula α, & διὰ & φθόρος, *corruptio*. verbum eſt φθείρω, quintæ coniugat. baryt. διαφθείρω, *corrumpo*, fut.φθερῶ. Aor.1.ἔφθειρα. præt.act. ἔφθαρκα, præt.med.ἔφθορα. Hinc φθορὰ, & φθόρος, & ὁ καὶ ἡ ἀδιάφθορος.

ψυχῆς] ἡ ψυχὴ, *anima*.ſecundę ſimplic.ὁ ψυχικὸς, *animalis*.

ὥσπερ γὰρ τῷ σώματι φῶς, ἥλιος, οὕτω ψυχῇ, προσευχὴ εἰ οὖν τυφλῷ ζημία, τὸ μὴ ὁρᾶν τὸν ἥλιον, πόση ζημία χριστιανῷ, τὸ μὴ προσεύχεσθαι συνεχῶς, καὶ διὰ τῆς εὐχῆς τὸ τοῦ χριστοῦ φῶς εἰς τὴν ψυχὴν εἰσάγειν; καί τοι τίς οὐκ ἂν ἐκπλαγείη καὶ θαυμάσειε τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν, ἣν εἰς ἡμᾶς ἐπιδείκνυται, τοσαύτην τιμὴν ἀνθρώποις χαριζόμενος, ὡς καὶ προσευχῆς ἀξιῶσαι καὶ ὁμιλίας τῆς ἑαυτοῦ; θεῷ γὰρ ὡς ἀληθῶς λαλοῦμεν τῷ καιρῷ τῆς προσευχῆς, δι᾽ ἧς καὶ τοῖς ἀγγέλοις συναπτόμεθα καὶ τὴν πρὸς τὰ ἄλογα κοινωνίαν πολὺ φαινόμεθα διαφεύγοντες.

Quemadmodum enim corpori lux, Sol(eſt) ſic animæ oratio. Si igitur cæco, pœna, non videre Solem. quanta pœna Chriſtiano(erit)non orarare aſſidue,&per orationem Chriſti lumen in animam inducere? Atqui quis non obſtupeſcat & admiretur Dei humanitatem, quam in nos oſtendit,tantum honorem hominibus donã ,vt & oratione dignetur(illos)& conuerſatione ſua? Deo enim vere loquimur tempore orationis,per quam & Angelis copulamur, & illam ad irrationalia communionem multum videmur effugientes.

Etenim perinde vt Sol iſte luminibus ſuis corpora, ita animos

animos ſuo quodam lumine veſtit oratio. Quare ſi oculis capto ſupplicium eſt, Solem videre non poſſe, quanto tandem grauius malum homini Chriſtiano non precari aſſidue, & ita Chriſti luce vacantem circumferre animum, fore putabimus? Bonitas porro Dei cum genus humanum tanta gloria impertiuit, vt ab eo adorari, vtiq; ſecum habere commercium velit, quem noſtrum, quæſo, in admirationem ſtuporemq; non coniiciat? Omnino enim cum Deo loquimur, quoties nos precibus dedimus. qua item ratione à natura belluarum longius recedentes, Angelis exequamur.

ὥσπερ] *quemadmodum*, aduerb.

σώματι] τὸ σῶμα, τοῦ σώματος, *corpus*, quintæ ſimpl. ὁ σωματικὸς, *corporeus*.

φῶς] Genit. neutri, τοῦ φωτὸς, *lux, lumen*; quintæ ſimpl

ἥλιος] vt ὁ λόγος, Sol, ἡλιακὸς, *ſolaris*, quod adiectiuum infra occurrit.

οὕτω] *ſic*, aduerbium ſequente vocali additur σ. οὕτως, quamuis id non ſemper obſeruetur.

εἰ] Coniunctio, à qua nata videtur Latina, *ſi*, leni ſpiritu in *s* mutato.

οὖν] *igitur*, coniunctio.

τυφλῷ] vt τῷ λόγῳ. ὁ τυφλὸς, *cæcus*, ἡ τυφλότης, *cæcitas*, τυφλόω, *excæco*, vt δηλόω, ἡ τύφλωσις, *excæcatio*.

ζημία] *mulcta, pœna*, ſecundæ ſimplicium.

τὸ μὴ ὁρᾷν] iterum ſubit infinitiuus cum articulo vicem nominis.

μὴ] aduerb. negandi, *non*.

ὁρᾷν] infinit. præſens, vt τιμᾷν, ὁράω, *video*, ὁράσω, ὥρακα ἑώρακα, quare præponatur ε habes 113. p. l. 1.

πόση] fœm. à πόσος *quantus*? interrogatiue.

συνεχῶς] aduerb. *continue, aſſidue*. Adiectiuum ὁ καὶ ἡ συνεχὴς, καὶ τὸ συνεχὲς, *continuus*, primæ contractorum. ἡ συνέχεια, *continuatio, connexio*.

διὰ] cum genit. ſignificat *per* 105. m. l. 2.

εἰσάγειν] infin præſens, ab εἰσάγω, *introduco*, com-

ponitur ex præposit. εἰς & ἄγω. fut. ἄξω. Aor.2. ἤγον & epenthesi ἤγαγον 255.m.l 1.

τίς, τί,] *quis, qua, quid* seu *quod*. interrogatiuum & infinitum, *aliquis, aliqua, aliquod*. hic interrogatio est, quintæ simplicium de quo 52.m.l.1.

οὐκ] aduerbium negandi, οὐκ dicitur, si sequatur vocalis, vt hic, aut diphthongus. οὐ si sequatur consonans, caretq; accentu, si non accipiat ab enclitica.

ἄν] vocula hæc multi vsus & nitoris est in Græca lingua, de qua lege c.16. Grammaticæ, & c.29. Syntax.

ἐκπλαγείη] Aorist.2. optat. modi, verbi pass. ab ἐκπλήττομαι vel ἐκπλήσσομαι, *obstupesco, attonitus sum, stupore percellor*. Actiuum est ἐκπλήσσω, *percello, perterrefacio*. compositum ab ἐκ & πλήττω, quartæ coniug. fut. πλήξω, ἐκπλήξω, Aor.1. ἐξέπληξα. Aor.2. ἔπλαγον η, mutato in α 120.p.l.1. ἐξέπλαγον, habetq; characteristicam γ. Aor.2. pass. ἐπλάγην, ἐξεπλάγην. Aorist. 2. optat. πλαγείην, ἐκπλαγείην, ἐκπλαγείης, ἐκπλαγείη.

Φιλανθρωπίαν] secundæ simpl. ἡ φιλανθρωπία, *humanitas*. ὁ καὶ ἡ φιλάνθρωπος, *humanus*. φιλανθρώπως, *humaniter*.

ἣν] art. postpos. ὅς, ἥ, ὅ, de quo 26.m.l.1.

ἐπιδείκνυται] præs. temp. indicat. modi, verbi pass. seu medii, ab ἐπιδείκνυμι, *ostendo*, ἐπιδείκνυμαι, idem vel passiue, *ostendor*, compositum ab ἐπί & δείκνυμι. quartæ coniugat. verborum in μι, quod sua tempora sumit à δεικνύω & δείκω, vide 260.p l.1.259.m. l 1. Hinc ἐπίδειξις. *demonstratio*. ἐπιδεικτικὸς λόγος, *oratio demonstratiua*.

τοσαύτην] vt τὴν τιμὴν, τοσοῦτος, *tantus*, τοσαύτη, τοσοῦτο *tantum*. 96.m. l.1. Neutrum non habet ν 41.m.l.2.

τιμὴν] ἡ τιμή, *honor*, secundæ simpl. τιμάω, *honoro*, ὁ καὶ ἡ τίμιος. *honorandus, pretiosus*, nam τιμή, *pretium* quoq; & *valorem rei* significat.

χαριζόμενος] particip præsent. temp. verb. med. à χαρίζομαι, *dono, largior, gratificor, rem gratam facio*. fut. med. χαρίσομαι, particip. pass. κεχαρισμένος, *gratus*,

tus, acceptus. vnde tritum illud Homeri, ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, *meo chare animo.* τὸ χάρισμα, *donum.*

ὡς] Regit hic infinitiuum. ὡς ἀξιῶσαι, ad verbum, vt *dignari*, pro, ὡς ἀξιώσῃ, vel ἀξιώσηται. 96. m. l. 2.

ἀξιῶσαι] Aor. 1. infin. vt δηλῶσαι, à verbo ἀξιόω, *dignor, dignum censeo*, item *puto, existimo.* priori significatione construitur cum genitiuo. 58. p. l. 2. passiuum, ἀξιόομαι, *dignus censeor, dignor*, passiue, vt illud Virgilii.

Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo. ἡ ἀξία, *dignitas.* κατ' ἀξίαν, *pro dignitate.* ὁ ἄξιος, *dignus.* ἀξία, ἄξιον. Regit genitiuum 36. p. l. 2. τὸ ἀξίωμα, *dignitas, dignatio*, & apud Philosophos axioma, *pronunciatum certum, & euidens, & explorata veritatis.* ἀξίως, *digne.*

τῆς] art. fœm. præpos. hic adhibetur maioris emphasis gratia, plenius enim & sonantius est ὁμιλίας τῆς ἑαυτοῦ, quam τῆς ὁμιλίας ἑαυτοῦ.

ἀληθῶς] *vere*, aduerb. ὁ καὶ ἡ ἀληθὴς, τὸ ἀληθὲς. 61. m. l. 1. *verus*, ἡ ἀλήθεια, *veritas.* ἀληθεύω, *verax sum.*

λαλοῦμεν] vt φιλοῦμεν præsent temp. indicatiui modi, à λαλέω, *loquor.* λαλήσω, λελάληκα, ὁ λάλος, *loquax*, λαλίστερος, λαλίστατος. 88. p. l. 1. Regit hic datiuum.

καιρῷ] Dat. sing. tertiæ simpl. ὁ καιρὸς, *tempus, opportunitas.* ἄκαιρος, *importunus.* εὔκαιρος, *opportunus.* εὐκαιρία, *opportunitas.*

ἀγγέλοις] vt τοῖς λόγοις, ὁ ἄγγελος, *Angelus, nuncius*, à verbo ἀγγέλλω, *nuncio*, quintæ coniug. baryt. futur. ἀγγελῶ, Aorist. 1. ἤγγειλα. compositum εὐαγγέλλω, *annuncio, bonum nuntium fero.* εὐαγγέλιον *Euangelium, bonum nuntium*, item, *merces quæ ob bonum nuntium datur.*

συναπτόμεθα] pass. præsens, indicat. modi, vt τυπτόμεθα, à συνάπτομαι, *coniungor, nector, hæreo*, à σὺν, & ἅπτομαι, *tango, hæreo, adhæresco*, Actiuum ἅπτω, primæ coniug. baryt. hinc ἁφὴ, *tactus, nexus, connexio.* ὁ ἁπτὸς, *tactilis*, τὸ ἁπτὸν, *tactile.*

ἄλογα] vt τὰ ξύλα, ὁ ἄλογος, *rationis expers*, ἄλογον ζῶον, *animal ratione carens*. ἀλογία, *imprudentia*.

κοινωνίαν] τὴν μέσων, ἡ κοινωνία, *communio, participatio*, ὁ κοινωνὸς, *particeps*. κοινωνὸς τοῦ θράσους, *socius audaciæ*. κοινωνέω. *particeps sum*, tertiæ coniugat. circumflexorum. Regit genitiuum, vt solent nomina & verba participandi. 52. m. l. 2.

πολὺ] hic supplet vicem aduerbii, alias nomen generis neutri. Mascul. ὁ πολὺς; fœm. ἡ πολλὴ, neutr. τὸ πολὺ 75. p. l. 1. comparat. ὁ καὶ ἡ πλείων, καὶ τὸ πλεῖον, superlat. πλεῖστος, πλείστη, πλεῖστον, 88 p. l. 1.

φαινόμεθα] præsent. temp. vt τυπτόμεθα, indicat. modi à φαίνω seu φαίνομαι de quo iam supra.

διαφεύγοντες] part præsent. temp. à διαφεύγω, *effugio*, compositum à διὰ & φεύγω, *fugio*. Secundæ coniug. baryt. fut. φεύξω à præt. medio πέφυγα, fit φυγὴ, *fuga* 214. m. l. 1.

Ἀγγέλων γὰρ ἔργον ἡ προσευχὴ, ὑπεραίρουσα καὶ τὴν ἐκείνων ἀξίαν, εἴπερ κρεῖττόν ἐστι τῆς ἀγγέλων ἀξίας τῷ θεῷ διαλέγεσθαι ἀλλ᾽ ὅμως ὅτι γε κρεῖττόν ἐστι, αὐτοὶ διδάσκουσιν ἡμᾶς, σὺν πολλῷ μὲν φόβῳ τὰς εὐχὰς προσφέροντες, παρέχοντες δὲ ἡμῖν εἰδέναι καὶ μανθάνειν, ὅτι προσήκει τῷ θεῷ προσιόντας σὺν χαρᾷ καὶ φόβῳ τοῦτο ποιεῖν, φόβῳ μὲν, δεδιότας μὴ τῆς προσευχῆς ἀνάξιοι φανῶμεν, χαρᾶς δὲ μεστοὺς γινομένους ἐπὶ τῷ μεγέθει τῆς τιμῆς, ὅτι τοσαύτης καὶ τοιαύτης προνοίας τὸ θνητὸν ἠξιώθη γένος, ὡς καὶ θείας ἀπολαύειν ὁμιλίας συνεχῶς, δι᾽ ἧς καὶ τὸ θνητοὶ εἶναι καὶ πρόσκαιροι διαφεύγομεν φύσει μὲν ὄντες θνητοὶ, τῇ δὲ πρὸς θεὸν ὁμιλίᾳ πρὸς ἀθάνατον ζωὴν μεταβαίνοντες.

Angelorum enim opus oratio transcendens & ipsorum dignitatem, siquidem melius est Angelorum dignitate Deo colloqui. Attamen quod melius sit, ipsimet docent nos, cum multo quidem timore orationes adferentes, præbentes vero nobis scire & discere, quod par est Deo accedentes cum gaudio & timore hoc facere; timore quidem, veriti ne appareamus indigni orationis, pleni vero gaudii facti, ob magnitudinem honoris, quod

quod tanta & tali prouidentia mortale dignatum sit genus, vt & diuinæ frueretur conuersationis assidue, per quam mortales esse & caduci effugimus, natura quidem existentes mortales, conuersatione vero cum Deo ad immortalem vitam transeuntes.

λῃσαὶ] plur. num. primæ ſimpl. ὁ λῃστὴς, latro.

κακοῦργοι] κακοῦργος, *malefactor*, contractum, pro κακόεργος. Sic λυκοῦργος, λυκόεργος.

κρεμάμενον] part. paſſ. præſ. temp. à κρέμαμαι, *ſuſpendor*. ſecundæ coniug. verb. in μι. dicitur etiam κρεμάω & κρεμάννυμαι, & κρέμομαι, *ſuſpendor*. ὁ κρεμαστὸς, *penſilis, pendulus*.

συμβῇ] Aor. 2. Coniunct. vel etiam præſens à σύμβημι, συμβαίνω, Coniunct. ἐὰν συμβῶ, συμβῇς, συμβῇ, τὸ συμβεβηκὸς, *accidens*.

ἀνάρπαστος] ὁ καὶ ἡ *raptus*, ab ἀναρπάω, *rurſum rapio*.

φέρεται] tertia perſona à φέρομαι, *feror*.

ὠθούμενοι] part. paſſ. ab ὠθέομαι, *pellor*, ὠθέω. ſeu ὤθω, *pello, impello* 266. m. l. 1.

συμφορὰς] ἡ συμφορὰ, *calamitas*.

φοβουμένους] Accuſ plur. part. à. φοβέομαι, *timeo*. fut. φοβήσομαι

ἐλεήσας] Aor. 1. act. part. ab ἐλεέω, *miſereor*. Regit accuſatiuum, τὸ ἔλεος, *miſericordia*. ἡ ἐλεημοσύνη. *idem*. ὁ καὶ ἡ ἐλεήμων, *miſericors*.

ἀπεργάσηται] Aoriſt. 1 coniunct modi, à verbo ἀπεργάζομαι *efficio*. ex ἀπὸ & ἐργάζομαι, imperfect. εἰργαζόμην, augetur enim per ει.

μονογενοῦς] ὁ καὶ ἡ μονογενὴς. *vnigena, vnigenitus*.

αἰῶνας] ὁ αἰὼν, τοῦ αἰῶνος, *ſeculum*. ὁ καὶ ἡ αἰώνιος, *aternus*.

Et hic finis eſto explanationis thematum, in hac pulcherrima, & quæ ab adoleſcentibus ediſcatur digniſſima oratione occurrentium. Debent aũt qui ſerio animũ ad Græcas literas adiiciunt, ipſi quoq; ſuopte ſtudio & nutu ſimile interdum exercitationis genus ſuſcipere, & vel Poetæ alicuius poema, vel oratoris orationem, vel ſancti cuiuſpiam Patris homiliam, ſeu concionem percurrere, & ſingulorum vocabulorum rationem grammaticam diligenter expendere & annotare, certi hanc

eſſe

esse expeditissimam & facillimam ad Græcas literas viã; nescio enim quo pacto & ipsæ præceptiones Grammaticæ, & dictiones, & phrases Græcæ magis hæreant in animo, si quis huic exercitationi laboris minime parcus sese dedat, quam vllo alio industriæ & accurationis genere. Illud item sedulo obseruabit studiosus, vt formulas loquendi ex proposito argumento sibi excerpat, & aliquando etiam nonnihil immutet, & tum collecta qualicunq; supellectili tentet, num epistolium conscribere; aut hanc illamue locutionem Græce exprimere possit. Vbi autem maiora incrementa eruditionis sumpsit, maiora quoq; moliri licebit, cuiusmodi est conuersio, verbi gratia, græcæ orationis in Latinam; vel Latinæ in Græcam. Plurimum porro refert, vt non quosuis auctores sine delectu adolescentes euoluant, sed cognitis vtcunq; Grammaticis pręceptionibus, vnum aut alterum Euangelistam, propter sermonis facilitatem candidamq́; simplicitatem percurrere debent; tum ad Isocratem, (si non suppetant selectę SS. Patrum orationes editę à R. P. Hieronymo Brunello, Societatis nostrę) sese conferent; ab hoc ad Lucianum & demum ad Demosthenem gradum facient. Poetas non attingent, nisi accurate didicerint, quę de Dialectis in Grammatica traduntur, priusq; Theognidi & Phocylidi aliisq; huius census vacabunt; quam in manus sumant summum, id est, Homerum, qui omne tulit punctum, & quemuis sui amantem ad cuiusuis alterius Vatis lectionem cumulatissime instruit.

EXERCITATIO POETICA.

EXplanationi thematum solutæ orationis visum est subiungere in gratiam studiosorum Græcæ poëseos, poëticam exercitationem, delectis ad eam illustrioribus nonnullis sententiis ex Homero, Theocrito, Moscho & Bione, & duplici adiuncta interpretatione, altera soluta, & quidem ad verbum, altera vincta.

ACHILLES AD PALLADEM ILIAD. I.

Χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε Θεὰ ἔπος εἰρύσσασθαι,
Καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον. ὣς γὰρ ἄμεινον.
ὅς κε Θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Oportet quidem vestrum Dea verbum custodire
Quamuis valde animo iratum. Sic enim melius.
Qui Dijs obedit, valde exaudiunt illum.

Mos semper monitis vestris est Diua gerendus,
Sic etenim satius, quamuis mens æstuet ira.
Qui Dijs obsequitur, votis huiusce patentes
Dant aures.

Versus sunt hexametri, sex pedibus constantes, non secus atq; Latini hexametri. Vide in Prosodia c.30.

χρὴ] *oportet*, verbum impersonale. 234. m. l. 1. producitur 7.b.

μὲν] Coniunctio, breuis alioquin, sed hic longa positione. 20. p. l. 1.

σφωΐτερον] *vestrum*, Pronomen 94. m. l. 1. prima sylla- ba natura longa est, antepenultima breuis deriuatione, fit enim σφωΐτερος à genitiuo duali σφῶιν, vel à nominatiuo σφῶι. 95. p. l. 1. cuius vltima syllaba breuis est, vt ex accentu fit perspicuum. Ne autē idem sæpius repetere cogamur; satis fuerit semel hic monuisse vocales η & ω na-

ω natura sua semper produci; ε & ο semper corripi; nisi quid aliud interueniat; vide c.1. & seq. Prosodiæ. Porro σφωΐτερος, *vester*, proprie dicitur de duobus; formatur enim à numero duali, licet sæpe vsurpari soleat de multis, vt & hoc loco Homeri; generatim enim affirmat Achilles Deorum monitus esse audiendos. vestrum, nempe Deorum, inquit, consiliis obtemperare oportet. Cum verbo secundæ personæ significat σφωΐτερος, *tuus*. Aliquando idem est ac *suus*. Vtriusq; significationis exempla exstant apud Apoll. lib. Argonaut. Prioris quidem hoc versu.

δῆμον σφωϊτέροισιν ὑπὸ σκήπτροισι δαμάσσαι.

Populum tuis sub sceptris domare.

Posterioris hoc. οὕνεκεν ἀλκῆ

σφωϊτέρῃ πάντεσσι μετέπρεπεν Αἰολίδῃσι.

Quia robore suo omnibus præstabat Æolidis.

Quia vero Poetæ significationem pronominis tertiæ personæ, & eorum quæ inde nascuntur, varie permutãt, ideo visum est hic aliquid ea de re dicere.

οὗ igitur (& eadem est ratio dialectorum) *sui*, sæpè accipitur pro αὐτοῦ, seu αὐτῆς, *ipsius*. Odyss. ξ ἐπεὶ ἕο κήδετο λίην. *Cum magnam ipsius curam haberet*. Item pro ἐμοῦ seu ἐμαυτοῦ, Apoll. lib.2. Argonaut. ἕο (οὗ) μὲν οὐδ' ἠβαιὸν ἀτύζομαι. *De me nihil curo*.

Dat. οἷ, *sibi*, pro αὐτῷ, *ipsi* Iliad. 1. ἥν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων. *Quam ipsi dedit Apollo*. Ab Apollonio lib. 1. vsurpatur pro σοὶ, *tibi*. cum verbo secundæ personæ.

ῥηϊδίως δ' αὖ ἑοῖ (οἷ) καὶ ἀπείρονα λαὸν ἀγείραις
ἄλλων ἐκ πολίων,

Facile vero tibi etiam infinitum populum collegeris
Aliis ex vrbibus.

Et lib 3. cum verbo primæ personæ pro ἐμοὶ, *mihi*. ἑοῖ αὐτῇ, *mihi ipsi*.

Accus. ἕ, *se*, ponitur pro αὐτὸν, αὐτὴν, & αὐτὸ, & pro ἑαυτὸν, *seipsum* Iliad 1.

---περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε
φύλλα τε καὶ φλοιόν.

Circum enim ipsi ferrum decorticauit
Folia & corticem.

In duali

In duali σφῶε & σφῶ, *se*, accipiuntur pro duali, αὐτώ. Hom. Iliad. 1.

τίς δ' ἄρ σφῶε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι;

Quis Deorum ipsos (Achillem & Agamemnonem) *commisit, vt simul contenderent?*

Sic σφῶϊν pro σφιν, *ipsorum*, vel *ipsis* per omnia genera, σφέες & σφεῖς, *ipsi, ipsæ, ipsa*. σφῶν vel σφέων, *ipsorum*, per omnia genera. σφισι seu σφιν, *ipsis*, tam de duobus quam de pluribus Odyss. 4

ὣς φάτο καί σφιν νῶτα βοὸς παρὰ πίονα θῆκεν.

Sic dixit, & ipsis (nempe Telemacho & Nestoridæ) *apposuit bouis pingue tergum.*

Quando additur verbis primæ personæ, aut pronomini primæ personæ, tum significat *nobis*. Apollon.

ὥρη δ' ἡμῖν ἐνὶ σφίσι μητιάασθαι

Hora est inter nos ipsos consultandi.

σφᾶς seu σφέας *ipsos* per omnia genera, tam de duobus quam de pluribus. quo pacto vsurpant Poëtæ omnes dialectos huius accusatiui σφᾶς, de quibus in Grammat. 114. a b. Cum verbo primæ personæ significat *nos*. Lucian. κατὰ σφᾶς αὐτοὺς διήλθομεν. *Inter nos ipsos percensuimus.* imo σφὲ per apocopen pro σφέας, accipitur etiam in singulari pro *ipsum, ipsam*, Sophoc. Aiace. ἐγὼ σφ' ἀπείργω. *Ego eum prohibeo.*

σφέτερος, *suus*. adiunctum verbis primæ & secundæ personæ significa *noster, vester, meus, tuus*, prout nomina, cum quibus copulatur, vel pluralis, vel singularis numeri sunt. Hesiod.

δεῦτε δ' ἐνέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι

Huc adeste, Iouem dicite vestrum patrem celebrantes.

Hæc de pronominibus occasione pronominis σφωΐτερος, Rel qua petantur ex Grammat. c. 12.

γε] Coniunctio expletiua, seu particula paragogica, & enclitica, 35. m. l. 1 nihil per se significans, reiicitq; suū accentum in dictionem præcedentem proparoxytonam. 249. m l. 1.

Θεὰ] *Dea* à Θεὸς, *Deus*. 82. m l. 1. vltima longa est. cap. 32. Vltima tamen nominis Latini *Dea* corripitur; neq;

neq; enim α Græcum eadem ſemper quantitate tranſit ad Latinos. c. 36. Nec vſurpant tantum Græci ἡ Θεὰ pro *Dea*, ſed etiam ἡ Θεὸς, *Dea*. Homer. Iliad. 1.

ὅσσον ἐγὼ μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη, θεός εἰμι.

Quantum ego inter omnes ſum inhonoratiſſima Dea.

Latini etiam nomen *Deus* accipiunt pro *Dea*.

ἔπος] εος. τὸ, verbum, vocabulum. Iliad. 20.

ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Quale verbum dixeris, tale & audies,

ἢ ἔπει, ἢ ἔργῳ. Hom. Iliad. 1.

Vel verbo, vel opere ſeu re.

οὐδὲν πρὸς ἔπος. *nihil ad rem.* ὡς ἔπος εἰπεῖν, *vt verbo dicam ; vt breuiter dicam.* Hic etiam ἔπος monitum ſeu præceptum ſignificat. Alia notione eſt ἔπος carmen Heroicum. Hinc Epici Poëtæ, qualis Virgilius & ἐποποιὸς, Heroicorum carminum Scriptor, & ἐποποιΐα. Deducitur ἔπος à verbo ἔπω. *dico*.

εἰρύσασθαι] Aoriſt. 1 infin. medius, vt τύψασθαι. 155. m. l. 1. ab ἐρύω, & interpoſito ι per Ectaſin cap. 31. εἰρύω, *trabo*. Item *ſeruo , cuſtodia*. qua ſignificatione magis vſurpatur paſſiuum ſeu medium ἐρύομαι, vel ἐρύομαι, vt hic ἔπος εἰρύσασθαι, *ſeruare verbum*, hoc eſt, non tranſgredi mandatum Palladis. Antepenultima verbi εἰρύσασθαι, longa eſt, quia verba in ύω, modo producunt, modo corripiunt ſuum υ. 59. m. l. 1. Eſt autem verſus iſte ſpondaicus, quod quinta ſede habeat ſpondeum, cuiuſmodi verſus multi paſſim leguntur apud Homerum, & alios Græcos, imo & apud Latinos, præſertim Catullum in carmine de nuptiis Pelei & Thetidis.

μάλα] aduerb. *valde, vehementer.* Prima conſtat breuis, quæ quantitas cognoſcitur cum aliis, tum illo verſu Homeri initio Odyſſeæ.

ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη.

Qui valde multum oberrauit.

Vltima quoque breuis eſt, vt pleraque alia aduerbia in α. vide 75. p. l. 1. Porro α in poſitiuo & ſuperlatiuo breue, na-

ue, natura longum est in comparatiuo, μάλα, μᾶλλον, μάλιστα.

πέρ] Coniunctio seu particula expletiua; & sine accentu, quia enclitica. 249. m. l. 1. & Poetis versus explendi gratia admodum familiaris. θυμῷ, Datiuus, vt τῷ λόγῳ. θυμὸς, *animus mens*. item, *ira, excandescentia*. θυμόομαι, θυμοῦμαι, *ad iram concitor, irascor, excandesco*. θυμόω, *ad iram concito*, prima syllaba longa est, vt liquet ex illo trito, & sæpius repetito Homeri:

ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

Meo chare animo.

κεχολωμένον] part. pass. à χολόω, *bile inflammo, ad iram excito*, χολόομαι, *ira accendor, inflammor, irascor*. dicitur etiam χολάω, eadem notione. ἡ χολὴ, *bilis, fel*. ὁ καὶ ἡ χολώδης, *biliosus, felleus*. Quantitas participii κεχολωμένων, per se notata est.

ὣς] *sic*, coniunctio. & hac significatione accentum habet. ὣς φάτο, *sic dixit*. alioquin caret proprio accentu.

γὰρ] Coniunctio, breuis hic, aliquando longa, quia monosyllaba, c. 26.

ἄμεινον] neutrum, compar gradus. 87. m. l. 1. Media longa est diphthongo, prima breuis. Iliad. 1.

βίῃ οὐ πατρὸς ἀμείνων.

Robore patre suo melior.

ὅς) art. postpositiuus. 26. m l. 1. additur dictio expletiua & enclitica κε, vt supra γε & περ

ἐπιπείθηται] Coniunct. modi, præs. temp. verbi medii, ab ἐπιπείθομαι, *pareo, obtempero*, ex ἐπὶ & πείθομαι. Regit datiuum. ἐπὶ, vt extra ita & intra compositionem, secundam syllabam corripit. 26 m. l. 2.

ἔκλυον] Imperf. à κλύω, *audio*. Regit hic genitiuum. αὐτοῦ, quippe verbum sensus 50 p. l. 2. & sequent. Media breuis est, quia κλύω, υ breue habet, saltem interdum, quando autem in præsenti breuis est syllaba media; tunc per præceptum deriuationis colligere licet eandem corripi in imperfecto. 39. m. l. 1.

POLY-

POLYDAMAS AD HECTOREM ILIAD. XIII.

Οὕνεκά τοι περὶ δῶκε Θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
τοὔνεκα καὶ βουλῇ ἐθέλεις περιέμμεναι ἄλλων;
ἀλλ᾽ οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε Θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
ἄλλῳ δ᾽ ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
ἄλλῳ δ᾽ ἐν στήθεσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς,
ἐσθλὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ᾽ ἄνθρωποι.

An quia tibi excellenter dedit Deus bellica opera,
Ideo & consilio vis præcellere cæteris?
At nunquam ſimul omnia poteris tu ſolus deligere,
Alii quidem tribuit Deus bellica opera,
Alii autem artem ſaltandi, alii citharam & cantum.
Alii autem in pectoribus ponit mentem late proſpiciens
Iuppiter
Prudentem, eaq; multi fruuntur homines.

An quia belligero excellis Mauorte, putas te,
Anteſtare aliis etiam ratione ſagaci?
Solus at ipſe nequis hæc omnia obire decenter,
Hunc Deus inſignem voluit clareſcere in armis,
Aſt alium choreis, alium cantu citharaq;,
Iuppiter aſt alii ſolertem in pectore mentem
Indit, qua multi magna vtilitate fruuntur.

οὕνεκα] varia habet ſignificata. Hic idem eſt, quod *an, quia, num, quia,* & eſt contractum ex οὗ ἕνεκα. Subiungitur illi ſępius, τοὔνεκα. Sed de his plura alibi, cum de huiuſmodi particulis agemus. corripitur vltima in vtroq; vocabulo; vt docet accentus. 31. p. l. 1.

τοι] Dat. pro σοὶ, à pronomine σύ. 112 c. Et eſt vox enclitica. 248. m. l. 1. Reiicitq; ſuum accentum in vltimam dictionis præcedentis. 249 m. l. 1.

πέρι] præpoſitio, ſed accipitur aduerbialiter pro διαφερόντως, *excellenter, eximie,* quod etiam accentus retractus ſignificat. vltima breuis eſt 100. p. l. 2.

δῶκε] Aoriſt. à *δίδωμι, do.* 200. m. l. ſine augmento,

pro

pro ἔδωκε, nam Poetæ omittunt vel ponunt augmenta verborum prout fert voluntas & carminis ratio. 106.p. l. 1.

πολεμήϊα] ὁ πολεμήϊος *bellicus, militaris*, pro πολέμιος, Ionica dialysi; 110. m.l.1. penultima breuis est; Nam vocales communes ex resolutione diphthongorum corripiuntur. 38 p.l. 1.

τοὔνεκα] pro τοῦ ἕνεκα, quantitas constat.

περιέμμεναι] Infin. à περίειμι, *excello, præsto, supero alios*, pro περιεῖναι. Ab εἶναι fit ἔμεναι, seu ἔμμεναι. 298. b. hinc περιέμμεναι. Aliquando per Tmesin seiungitur præpositio à verbo, vt 1. Iliad.

ἀλλ' ὅδ' ἀνὴρ ἐθέλει περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων.

Sed hic vir vult supra omnes alios esse.

Regit genitiuum. 56.p.l.2. corripitur aũt diphthongus αι ob vocalem in altera dictione sequentem. 28.p.l.1.

οὔπως] *nunquam, nequaquam*, vox πως, hic est enclitica, remittitq; accentum in vocem præeuntem. 249.p.l.1.

ἅμα] aduerb. *simul*, vtraq; breui. c. 26.

πάντα] plur.num à πᾶς, πᾶσα, πᾶν, vltima breui c. 26.

δυνήσεαι] Secunda persona futuri medii, à δύναμαι, *possum, valeo*. fut. 1. δυνήσομαι, δυνήσῃ, δυνήσεται. Et ablato σ, fit secunda persona Ionica, siue poetica, δυνήσεαι, *poteris*. 153.p.l.1. prima syllaba breuis est, αι in vltima corripitur propter sequentem vocalem, de quo paulo ante.

ἑλέσθαι] Aor. 2. medii, Infin. ab αἱρέομαι, 250.m.l.1.

ὀρχηστὺν] Accus. quintæ simplicium, ἡ ὀρχηστὺς, τῆς ὀρχηστύος. *ars saltandi*, seu *ipsa saltatio* Accus. τὴν ὀρχηστὺν, 54. m. l. 1. vltima longa. cap. 26. vel per licentiam poet. cum post secundum pedem, c. 29. ἡ ὀρχηστρὶς, τῆς ὀρχηστρίδος. *saltatrix*. ὁ ὀρχηστὴς, ὁ ὀρχηστής, *saltator*. ὁ ὀρχηστικὸς, *saltatorius*. ἡ ὄρχησις, ὁ ὀρχηθμὸς, *saltatio*. ὀρχέομαι, *salto*.

κίθαριν] Accus quintæ declin. ἡ κίθαρις, τῆς κιθάριος, idẽ quod κιθάρα. *Cithara*. Omnes syllabæ breues sunt vtrumq; vocabulum, nempe κίθαριν & ἀοιδὴν, coniunxit Homerus hymno in Apollinem.

αὐτίκα δ' ἀθανάτοισι μέλει κίθαρις καὶ ἀοιδή.

Mox immortalibus cura est cithara & cantus.

ὁ καὶ ἡ ἀοίδιμος, *celebratus, decantatus.* ὁ ἀοιδὸς, *cantor, poeta,* ὁ ἀοιδοπόλος, *poeta.* ἡ αἰδοσυνή, *cantus, cantio,* ἀείδω, *cano.* μῆνιν ἄειδε θεὰ, *Iram cane Dea.*

στήθεσι] Dat. plur. τὸ στῆθος, *pectus,* primæ contract. τοῖς στήθεσι, & geminato σ versus gratia, στήθεσσι.

πιθεῖ] præs. indic. tertiæ personæ, à πιθέω. 184. m. l. 1. prima breuis est ob reduplicationem. 68. p. l. 1.

εὐρύοπα] vocatiuus loco nominatiui, ὁ εὐρυόπης, *late videns, longe lateq; circumspiciens.* 38. p. l. 1. Accentum habet in antepenultima; sicut & δεσπότης, ὦ δέσποτα, *dominus.* ὁ μητιέτης, ὦ μητίετα, *consiliarius.* Eadem syllaba breuis est, quia prior pars compositionis desinit in υ 42. p. l. 1. Vltima etiam breuis est, vt ex accentu planum fit, sed hic producitur propter duplicem dictionis sequentis. 20. m. l. 1.

Ζεὺς] *Iuppiter,* τοῦ διὸς, prima breui. 77. m. l. 1.

πολλοὶ] ὁ πολὺς. 74 p. l. 1. corripitur οι propter sequentem vocalem. 28. p. l. 1. neq; eliditur, aut per apostrophum abiicitur 28. m. l. 1.

ἐπαυρίσκοντ᾽] pro ἐπαυρίσκονται, abiecto per apostrophum αι, ab ἐπαυρίσκομαι, *fruor* ex ἐπὶ & αὐρίσκομαι. Non coniugatur vltra imperfectum. 218. p. l. 1. Dicitur etiam ἐπαυρίσκω, sumitq; sua tempora, ab ἐπαυρέω, *fruor, vtilitatem percipio.* Regit genitiuum. 71. m. l. 2. τοῦ pro τούτου ἐπαυρίσκονται, *hoc viro prudente, vel hac prudentia fruuntur homines multi.* Est autem versus spondaicus.

VLYSSES AD EVRYALVM
LIB. VIII. ODYSS.

Οὕτως οὐ πάντεσσι Θεὸς χαρίεντα δίδωσι
ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ᾽ ἂρ φρένας οὔτ᾽ ἀγορητύν.
ἄλλος μὲν γὰρ τ᾽ εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνὴρ,
ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει· οἱ δέ τ᾽ ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσι. ὁ δ᾽ ἀσφαλέως ἀγορεύει
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισι.
ἐρχόμενον δ᾽ ἀνὰ ἄστυ, Θεὸν ὡς εἰσορόωσιν
ἄλλος δ᾽ αὖ εἶδος μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισιν,
ἀλλ᾽ οὔ οἱ χάρις ἀμφιπεριστρέφεται ἐπέεσσιν.

Sic non omnibus Deus munera dat
Viris, neq; ingenium, neq; mentem, neq; eloquentiam.
Alius quidem forma deterior est vir,
Sed Deus formam verbis ornat: alii vero in ipsum
Oblectati aspiciunt, hic vero secure loquitur
Modestia dulci, eminent autem inter congregatos,
Incedentem autem per vrbem veluti Deum aspiciunt.
Alius quidem rursus forma similis est Diis,
Sed non ei gratia circumuertitur circa verba.

Omnibus ex æquo Deus haud demittit ab axe
Munera terrigenis, nec fandi copia cunctis
Ingeniumue datur vel par rationis acumen.
Est enim cui forma quidem sit turpior, ast hanc
Iacturam formæ præstat Deus vbere vena
Eloquij pendens stat turba loquentis ab ore,
Ille regit dulci totam sermone cateruam:
Omnibus & reliquis vnus supereminet ipse.
Qui dum fert vrbis per publica compita gressus,
Non secus atq; Deum aspiciunt, & pectore honorant.
Ast alium cernas forma contendere Diuis,
Sed lepor omnis abest verbis & gratia grata.

πάντεσσι] Dat. plur. Poeticus, 61. p. l. 1.

χαρίεντα] plur. num. ὁ χαρίεις, ἡ χαρίεσσα, τὸ χαρίεν. 51. p. l. 1. Dicitur autem hic χαρίεντα τῆς φύσεως δῶρα, *munera naturæ*, vt explicat Eustathius; Prima & secunda breuis est. ὦ χαρίεσσ' Ἀμαρυλλί, Theocrit. Idyll. 3. *O gratiosa Amarylli.*

διδῶσι] à δίδωμι, *do*, 200. m. l. 1. corripitur prima ob reduplicationem. 67. m. l. 1.

ἀνδράσιν] Dat. plur. ὁ ἀνήρ, 50. p. l. 49. m. l. 1. penultima corripitur. 45. m. l. 1.

φυὴν] ἡ φυὴ, *natura, ingenium*, à φύω seu φῦμι, *nascor.*

φρένας] ἡ φρὴν, τῆς φρενὸς, *mens.* 48. p. l. 1. vltima breuis est. cap. 26.

ἀγορητὺν] ἡ ἀγορητὺς, *eloquentia, concionandi ars seu facultas, à foro*, seu ἀγορᾷ, ὁ ἀγορητὴς, *concionator.* Hom. 1. de Nestore.

λιγὺς πυλίων ἀγορητής.

Suauis Pyliorum concionator seu orator.

εἶδος] τὸ, *forma species*, ab εἴδω seu εἰδέω, *video*. εἶδος ἀκιδνότερος, *formam deterior*; subintellecta præpositione κατὰ. 54.m.l.1.

ἀκιδνότερος] comparatiui gradus, ὁ καὶ ἡ ἀκιδνός, *infirmus, debilis*. Odyss.18.

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.

Nihil infirmius terra alit homine.

Prima breuis est, ob regulam de α particula priuatiua. 41.p.l.1 si tamen hic sit talis particula.

πέλει] tertia persona indicat. à poetico verbo πέλω, *sum*, πέλομαι, *idem*.

ἀνὴρ] prima longa. ἀνέρες ἔστε φίλοι, *viri estote amici*. Passim apud Homerum. Aliquando corripitur. Iliad.20.

οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, οὐδ᾽ ἀγανόφρων.

Non enim erat vir iucundus, neq; prudens.

ἀλλὰ] *sed*, coniunctio, vltima breui.c.26.

στέφει] à στέφω, στέφεις, στέφει, *corono*, ad verbum, *Deus formam verbis coronat*. hoc est, id quod deest formæ, compensat eloquentia, & dicendi facundia.

τερπόμενοι] part. præs. à τέρπομαι, *delector*. τέρπω, *delecto*.

λεύσσουσιν] vt τύπτουσιν, à λεύσσω, verbo poetico. *video, aspicio*.

ἀσφαλέως] Aduerbium. *secure, tuto*, item, *certo*, ὁ καὶ ἡ ἀσφαλὴς. *securus*, ἡ ἀσφάλεια, *securitas*, ἀσφαλίζω. *firmo, stabilio, securum reddo*.

ἀγορεύει] *concionatur*, ab ἀγορεύω.

αἰδοῖ] Dat. sing. quartæ contract. ἡ αἰδὼς, *verecundia, modestia, reuerentia*.

μειλιχίῃ] Datiuus, vt τῇ τιμῇ, ὁ μειλίχιος, seu μείλιχος, *blandus, placidus*. Item, *mitis, mansuetus*. ἡ μειλιχία, τὸ μειλίχιον. Dicitur τῇ μειλιχίῃ pro μειλιχίᾳ. nam Ionice mutatur α in η, & α simplex in η simplex. 33.m.l.1. 38 m.l.1. μειλιχίως, *blande, comiter, mansuete*. Antepenultima & penultima corripiuntur.

μεταπρέπει] à μεταπρέπω, *decorus sum inter aliquos*,

 emineo,

emineo, excello. διαπρέπω. hic Tmesis interuenit, μετὰ πρέπει, Regit datiuum Iliad. 2. βόεσσι μεταπρέπει, *spectabilis est inter boues,* πᾶσι μεταπρέπει. Hesiod. *Inter omnes excellit,* πάντεσσι μετέπρεπεν ἠιθέοισι. Omnibus iuuenibus præstabat. Apol. lib. 2. alias verba excellendi genitiuum petunt. Sed videtur prædictum verbum iungi cum dandi casu ratione præpositionis μετὰ, quæ etiam extra cōpositionem iungitur aliquando dandi casui, significatq; *in*, vt in Syntaxi vidimus.

ἀγρομένοισι] part. pass. præsens, per syncopen, pro ἀγειρομένοισι, ἀγειρόμενος, ἀγρόμενος, *congregatus*, ab ἀγείρομαι, *congregor.* ἀγείρω, *congrego.* Vide in Grammat. 152. p. l. 1. (uis est.

ἀνὰ] præpos. *per*, hic regit accusatiuum, vtraq; breἄστυ] τὸ *vrbs.* 47. p. l. 1. vltima breui c. 26.

θεὸν ὡς] syllaba breuis post tertium pedem, hic producitur. c. 29.

εἰσορόωσιν] tertia persona plur. num. idic. modi, ab εἰσοράω, *aspicio*, ex εἰς & ὁράω, *video.* plur. ὁράουσι, ὁρῶσι, & interposito ο. ὁρόωσι, vide 176. p. l. 1.

ἀλίγκιος] similis ὅμοιος, idem significat ἐναλίγκιος, passim apud Homerum, vtrumq; cum datiuo copulatur, α breui.

ἀθανάτοισι] ὁ καὶ ἡ ἀθάνατος, *immortalis*, prima alioqui breuis est, sed hic extenditur necessitate carminis. cap. 29. duæ proxime sequentes syllabæ itidem breues sunt, quia θάνατος, *mors*, vnde fit ἀθάνατος, illas syllabas corripit.

οἱ] Dat. pronominis οὗ, *sui*, tertiæ personæ.

χάρις] ἡ, *gratia, venustas.* 52 p. l. 1. prima breuis est, vt & in aliis, quæ cum hoc cognationem habent, vt ἄχαρις, *ingratus*, εὔχαρις, *gratus*, χαρίζομαι, *gratificor*, & similia.

ἀμφιπεριστρέφεται] decompositum ex ἀμφὶ, περὶ & στρέφομαι, *vertor*, στρέφω, *verto.* Alii legunt; ἀμφιπεριστέφεται, quasi dicas, *circumcoronatur.* Sensus est, Orationem huiusmodi hominis nullo lepore tinctam, sed omnis gratiæ penitus expertem esse.

ἐπέεσσι] Dat. plur. à voce ἔπος, à qua Poëtæ faciunt, non modo ἔπεσσι, duplicato σ, sed etiam ἐπέεσσι, vno ε adhuc interposito, vel à Recto plurali, ἔπεα, ἐπέεσσι, quasi esset ἔπεις. 68. m. l. 1. Et eadem est ratio aliorum neutrorum primæ declinationis contractæ.

GLAVCVS AD DIOMEDEM.
LIB. VI. ILIAD.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
φύλλα τὰ μὲν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.
ὡς ἀνδρῶν γενεὴ, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.

Qualis foliorum generatio, talis & virorum.
Folia alia quidem ventus humi fundit, alia autem sylua
Germinans producit, veris vero tempus aduenit.
Sic virorum generatio, illa quidem fit, ista vero cessat.

Vt folia in syluis nascuntur; talis & ortus
Est hominum: quædam foliorum flamina ventus
Fundit humi, quædam frondescens denuo sylua
Progignit, veris quando hora propinquat amœna.
Sic hominum est ortus, quorum alter desinit, alter
Floret.

οἵη περ] οἷος, *qualis*. fœm. οἵα, Ionice, οἵη, neut. οἷον *quale*. *Qualis, talis*. οἷος, τοῖος, *talis, qualis*, τοῖος, οἷος, respondent enim sibi mutuo hæc duo.

φύλλων] Gen. plur. vt τῶν ξύλων, τὸ φύλλον, *folium*. ὁ φύλλινος, *foliaceus*.

γενεὴ] ἡ *generatio, ortus*, Ionice pro γενεά. Significat etiam *ætatem, seu sæculum*, quod alii triginta, alii centum annorum faciunt. Hinc dicit Homer. Iliad. 1. Nestori tẽpore Troiani belli iam duas γενεὰς ἀνθρώπων (duo secula) fuisse exactas, & tertiam tum egisse; vnde & *trisecli senis* appellatur.

ἄνεμος] *ventus*, ὁ, à quo aliqui dictum volunt Latine *animam*, prima breui.

χαμάδις] *humi*, χαμαί, aduerb. prima & secunda breuis est. Tertia producitur hic positione, breuis extra po-

ſitionem. Corripiunt autem primam ſyllabam omnia quæ ab iſta vocula componuntur, vt χαμαιλέων, *Chamæleon*, χαμαίζηλος, *humi depreſſus, humi repens*, ὁ χαμαιδύνης, *qui humi cubat*. ἡ χαμαιδυνία, *humicubatio*, & ſimilia.

χέει] tertia perſona, à χέω, *fundo*. 158. m. l. 1.

ὕλη] ἡ *ſylua*, prima longa. ὁ ὑλήεις, ὑλήεσσα, ὑλῆεν, *ſyluoſus*.

τηλεθόωσα] part. præſ. temp. à τηλεθάω, *vireo, germino, frondeo*. Dicitur τηλεθόωσα, pro τηλεθῶσα, interpoſito ο. 176. m. l. 1. δένδρεα τηλεθόωντα *arbores virentes*, apud Homerum & τηλεθόωσα κόμη, *coma virens*.

ἔαρος] Gen. τοῦ ἔαρ, contractione ἦρ, ver. 71. p. l. 1. ὁ ἐαρινὸς, *vernus*, ἐαρινὴ ὥρα, *vernum tempus*. Poetice, εἶαρ, à quo εἰαρινὸς, *propter verſum*. Eſt autem α incrementum nominis ἔαρ ſeu εἶαρ, breue 43 p. l. 1. Sic εἰαρινὸς penult. breui conſtat. 71. m. l. 1.

ἀπολήγει] tertia perſona indic. præſ. ἀπολήγω, ex ἀπὸ & λήγω, *ceſſo, deſino*.

THEOCRITVS

IDYL. 9.

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
ἴρηκες δ' ἴρηξιν, ἐμὶν δ' ἁ μῶσα καὶ ᾠδά.
τῶν μοι πῶς εἴη πλεῖος δόμος, οὔτε γὰρ ὕπνος
οὐδ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι, οὓς γὰρ ὁρῶσαι
γαθεῦσιν, τὼς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο κίρκα.

Cicada quidem cicadæ amica, formicæ autem formica,
Accipitres autem accipitribus, mihi autem Muſa & cantus,
Cuius mihi omnis ſit plena domus; neq; ſomnus
Neq; ver ſubitum dulcius; neq; enim apibus
Flores, quantum mihi Muſæ charæ ſunt, quos enim aſpicientes
Gaudent, eos ſua potione non læſit Circe.

Formicæ formica, cicadæ eſt chara cicada;
Accipitri accipiter, mihi ſed cum carmine Muſa.

Hæc

Hac mihi tota domus resonet, nam dulcior ista
Nec somnus, neq; ver fuerit, nec floribus æque,
Vt Musis ego, apes lætantur, lumine nam quos
Aspiciunt propiore, hos lædere pocula Circæ
Non potuere.

τέττιξ, ὁ] *cicada*, quintæ simpl. τοῦ τέττιγος. 49. p. l. 1. constat incremento longo. 53. m. l. 1. crebro occurrit apud Theocritum & Homerum. τεττίγεσσιν ἐοικότες, *similes cicadis*. Hom. de senioribus Troiæ.

Μύρμακι] Dorismus, pro μύρμηκι, ὁ μύρμηξ *formica*. Dorice μύρμαξ, 29. p. l. 1. 49. m. l. 1. ὁ μυρμηδών, τοῦ μυρμηδῶνος, seu μυρμηκιά. *formicarum contubernium*, hoc est, *multitudo formicarum in vno cumulo.*

ἴρηκες] pro ἱέρακες, vt ἴρηξ, pro ἱέραξ, *accipiter*. constat incremento longo. 46. m. l. 1. 49. p. l. 1.

ἐμὶν] Dat. Doricus, pro ἐμοὶ, *mihi*, ab ἐγώ.

ἁ μῶσα] Dorismus, pro ἡ μοῦσα, 28. m. l. 1. 30. p. l. 1.

ᾠδὰ] pro ᾠδὴ, *cantio, Oda*.

τᾶς] art. præpos. pro τῆς.

πλεῖος] Poetice, pro πλέος, *plenus*. compar. gradus. πλειότερος. Regit genitiuum. 36. m. l. 2.

δόμος, ὁ] à quo Latina vox *domus*, genere mutato.

ἐξαπίνας] aduerb. Dorice, pro ἐξαπίνης, *statim, subito*. Et est poeticum pro ἐξαίφνης.

αὖθεα] Nomin. plur. vt τείχεα α breue hic eliditur.

γαθεῦσιν] tertia pluralis. Dorice, pro γηθοῦσι, à γηθέω, *lætor*. Dorice γαθέω, γηθέουσι, γηθοῦσι, γηθεῦσι. 28. m. l. 1. 30. m. l. 1.

τὼς] art. præpos. Doricus pro τούς. 42. m. l. 1.

δηλήσατο] Aoristus 1. med. tertiæ personæ, à δηλέω, Dorice, δαλέω, *lædo*, δηλήσω. ἐδήλησα, ἐδηλησάμην, ἐδαλησάμην, ἐδαλήσω, ἐδαλήσατο, & ablato augmento, δαλήσατο.

κίρκα] Dorice; communiter κίρκη, Circe, venefica omnibus Poetis decantata, à qua Circea pocula.

MOSCHVS IN EPITAPHIO BIONIS.

αἲ,αἲ,ταὶ, μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται.
ἢ τὰ χλωρὰ σέλινα,τό,τ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον,
ὕστερον αὖ ζώοντι καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι.
ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες
ὁππότε πρῶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλα.
εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν, ἀτέρμονα,νήγρετον ὕπνον.

Hei;Hei,maluæ cum in horto interierunt,
Vel viride apium, vel florens cripſum anethum,
Poſtea reuiuiſcunt, & altero anno renaſcuntur;
Nos vero qui magni & fortes aut ſapientes viri ſumus
Vbi ſemel mortui fuerimus,obſcuri in terra concaua
Dormimus valde longum, infinitum,inexcitabilem ſomnum

Heu maluæ poſtquam campo periere patenti,
Atq; apium viride & quod pulchre floret anethum,
Poſteriori anno demum rediuiua vireſcunt:
Nos vero magniq; & clari robore & arte
Cum ſemel occidimus,terræ non cogniti in oris
Dormimus longum ſine meta,ſineq; ſomnum.

αἲ,αἲ] aduerbium lugendi ſeu deplorandi, quo prius etiam vtitur Poeta in hoc Idyllio, & ſæpius ipſe Bion in Epitaphio Adonidis.

ταὶ] art. præpoſ pro αἱ. 52. m. l. 1.

μαλάχαι] ἡ μαλάχη, *malua*, vtraq; breui.

κᾶπον] Doricum, pro κῆπον, ὁ κῆπος, *hortus.*

ὄλωνται] Coniunct. modi, Aoriſtus 2. tertia plur. ab ἀπολλύω, ἀπόλλυμι, *pereo, intereo*, ſed fit quaſi ab ὄλλω, Aor. ὠλόμην, ἀπωλόμην, *perii*, Aor. 2. Coniunct. ἐὰν ὄλωμαι, 258. m. l. 1.

τὰ] producitur hic ob duas conſonantes alterius dictionis 20. m. l. 1.

σέλινα] τὸ σέλινον, *apium*. media longa. Theocrit. Idyll. 3.

ἐμπλέξας καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις.
Intertextis folliculis & odorato apio.

τό,τ']

τό, τ'] Articulus præpos. neuter, & nota signum hypodiastoles, de quo in Grammat. 23. p. l. 1.

εὐθαλὲς] ὁ καὶ ἡ εὐθαλὴς, *floridus*, καὶ τὸ εὐθαλὲς, εὐθαλέω, *bene vireo floreo.*

οὖλον] ὁ οὖλος, *crispus*, ἡ οὐλότης, *crispitudo.*

ἄνηθον] τὸ, *anethum.* nomen herbæ.

ζώοντι] à ζώω, poetico, pro ζάω, viuo, tertia pluralis, indic. modi, præs. temp. Dorice pro ζώουσι, nam Dores tertiam pluralem indic. modi præsent. temp. faciunt eandem atq; est Datiuus participii præsentis temporis, vt τύπτοντι, pro τύπτουσι, ζώοντι, pro ζώουσι, quia dicitur ζώων, ζώοντος, ζώοντι, Producitur illud ω, licet sit ante aliam vocalem. 28. m. l. 1.

φύοντι] pro φύουσι, persona Dorica, vt ζώοντι, pro ζώουσι seu ζῶσι, prima breuis est.

ἄμμες] *nos*, pro ὑμεῖς, pronomen Æolicum. 93. p. l. 1.

καρτεροὶ] pro κρατεροὶ, metathesis literarum, sicut θάρσος pro θράσος, ὁ κρατερὸς, *fortis*, prima breui. Hom. ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής. *Vtrumq;, & Rex bonus, & fortis bellator.*

ὁππότε] Poetice, pro ὁπότε, sicut ὅππη, ὁππoῖος, ὁππόσα, ὁππόσος, ὁππότερος, pro ὅπη, ὁποῖος. 32. p. l. 1.

πολλὰ] hic est aduerbium, nam neutra pluralia vsurpant Græci pro aduerbiis. ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη. Hom. *Qui multum errauit.* 236. p l. 1.

θάνωμες] prima plur. Dorice pro θάνωμεν. 31. m. l. 1. Est autem prima persona plur. num. Aor. 2. Coniunct. modi, à θνήσκω, *morior.* Aor. 2. act. ἔθανον. Aor. 2 Coniunct. ἐὰν θάνω. plur. θάνωμεν. 261. m. l. 1. prima breuis est, quia in Aorist. 2. ἔθανον. α est breue; & quod hinc sequitur, in omnibus aliis Aoristis, in quibus illud α repetitur. 60. m. l. 1.

ἀνάκοοι] Dorice, pro ἀνήκοοι, ὁ καὶ ἡ ἀνήκοος, *inglorius, obscurus, ignobilis.* Item, *auditionis expers, qui non audit.* Prima syllaba corripitur, quia est α priuatiuum. Secunda producitur, quia est α Doricum. 34. p. l. 1. ἀνηκόως ἔχειν, *non audire*, vel *esse inglorium.*

κοίλα] Doricum, pro κοίλη, ὁ κοῖλος, *cauus*, ἡ κοί-

λη, τὸ κοῖλον· τὰ κοῖλα τῆς γῆς, *caua*, seu *cauerna terræ.*

εὕδομες] pro εὕδομεν, ab εὕδω, καθεύδω, *dormio.*

ἀτέρμονα] Accus. singularis. ὁ καὶ ἡ ἀτέρμων, *sine termino, interminatus.* ἀτέρμων αἰὼν, *sempiternum æuum*, seu *æternitas* τὸ τέρμα, τοῦ τέρματος, *meta, finis, terminus*, τερματίζω, *termino, finio*, prima breuis est in voce ἀτέρμων, propter priuatiuam particulam α.

νήγρετον] ὁ καὶ ἡ νήγρετος, *inexcitabilis.* Epithetum somni apud Homerum, & alios, per talem autem somnum intelligunt mortem; Sola enim hæc est somnus νήγρετος, à quo nemo exsuscitari queat: vnde etiam χάλκεος ὕπνος. ferreus somnus, & dura quies nominari solet à Poetis. Componitur autem vox illa ex particula νὴ, quæ hic priuandi vim habet, & quasi ex ἐγερτὸς, seu ἐγρετὸς, ab ἐγείρω, *excito.* Vsurpatur etiam ἀνήγρετος, eadem significatione.

BIONIS IDYL. VI.

ΚΛΕΟΔΑΜΟΣ ΚΑΙ Μύρσων.

Εἴαρος, ὦ Μύρσων, ἢ χείματος, ἢ φθινοπώρω,
ἢ θέρεος, τί τοι ἁδύ; τί δὲ πλέον εὔχεαι ἐλθεῖν;
ἢ θέρος, ἁνίκα πάντα τελείεται, ὅσσα μογεῦμες;
ἢ γλυκερὸν φθινόπωρον, ὅτ' ἀνδράσι λιμὸς ἐλαφρά;
ἢ καὶ χεῖμα δύσεργον, ἐπεὶ καὶ χείματι πολλοὶ
θαλπόμενοι θέλγονται ἀεργίῃ τε καὶ ὄκνῳ;
ἤ τοι καλὸν ἔαρ πλέον εὔαδεν; εἰπὲ τί τοι φρὴν
αἱρεῖται· λαλέειν γὰρ ἐπέτραπεν ἁ σχολὰ ἡμῖν.
Μικρίνειν οὐκ ἐπέοικε θεήια ἔργα βροτοῖσι.
πάντα γὰρ ἱερὰ ταῦτα καὶ ἁδέα· σεῦ δὲ ἕκατι
ἐξερέω Κλεόδαμε, τό μοι πέλεν ἅδιον ἄλλων.
οὐκ ἐθέλω θέρος ἦμεν, ἐπεὶ τόκα μ' ἅλιος ὀπτῇ.
οὐκ ἐθέλω φθινόπωρον, ἐπεὶ νόσον ὥρια τίκτει.
οὖλον χεῖμα φέρειν, νιφετὸν κρυμὼς τε φοβεῦμαι.
εἶαρ ἐμοὶ τριπόθατον ὅλῳ λυκάβαντι παρείη,
ἁνίκα μήτε κρύος, μήθ' ἅλιος ἄμμε βαρύνει,
εἴαρι πάντα κύει. πάντ' εἴαρος ἁδέα βλαστεῖ.
χ' ἁ νὺξ ἀνθρώποισιν ἴσα καὶ μοιίος ἀώς.

CLEO-

CLEODEMVS ET MYRSON.

Vere, ô Myrson, aut hyeme, aut autumno.
Aut æstate, quid tibi iucundum? & quodnam magis optas aduenire?
An æstatem, quando omnia absoluuntur, quæcunq; laboramus?
An dulcē autumnū, quando hominibus fames leuis est?
An vero hyemē ad opera pigrā? quoniā & hyeme multi
Dum se calefaciunt oblectantur otio & pigritia.
An vero tibi pulcrum ver magis placet? dic quid tibi animus
Eligit, loqui enim permittit otium nobis.
M. Iudicare non decet diuina opera mortales.
Omnia enim hæc sacra sunt, & iucunda, tui autem gratia
Dicam, Cleodeme; quodnam mihi sit iucundius cæteris.
Non volo æstatem esse, quoniam tunc me sol torret,
Non volo autumnum, quia morbum fructus autumnales pariunt.
Perniciosam hyemem sufferre, niues pruinasq; timeo.
Ver mihi ter optatum toto anno adsit,
Quando neq; frigus, neq; sol nos grauat.
Vere omnia fœcunda sunt, omnia vere suauia germinãt,
Et nox hominibus par est, & par dies.

Verne tibi, Myrson, vel hyems, autumnus an æstas
Gratior est? quodnam cupis horum tempus adesse.
An forte æstatem; quia nostros illa labores
Perficit, autumnum an dulcem qui corpore pellit
Esuriem? an brumam pigram, quo tempore multi
Ante focum cessant, grataq; quiete fruuntur?
Dulcius est ne istis ver pulchrum? dic mihi quid mens
Optet. sermonem concedunt otia talem.
M. Diuum opera haud par est humano examine pendi,
Et pariter sacra sunt hæc quatuor, & mihi grata.
Scire tamen quoniam cupis hoc, Cleodeme, fatebor,
Quod nam plus nobis placeat quam cætera tempus.
Æstatem nolo, radiis tunc solis aduror.

Haud cupio autumnum, nam ob fructus morbifer ille est,
Formido tristes hyemis glaciesq; niuesq;.
Durare annum ver cuperem peramabile totum,
Tum neq; nos frigus, nec solis nos grauat ardor,
Omnia tunc fœtu, vel germine læta recenti,
Ipsa dies etiam spatium tunc solis adæquat.

ἔιαρος] τὸ ἔιαρ seu ἔαρ, *ver*, de quo etiam supra. Quod autem Latini dicunt, *vere, æstate, nocte, die*, id Græci dicunt in Genitiuo. νυκτὸς καὶ ἡμέρας, *die, ac nocte.* ἔιαρος, θέρεος, *vere, æstate.* 91. m. l. 1. Quid ergo tibi iucundum est, inquit Cleodemus, in vere, in æstate?

χείματος] τὸ χεῖμα, *hyems, bruma*, constat augmento breui. ὁ χειμὼν, τοῦ χειμῶνος, *idem.*

φθινοπώρου] τὸ φθινόπωρον, *autumnus*, τὸ μετόπωρον, idé ὁ φθινοπωρινὸς, *autumnalis.* Componitur à verbo φθίνω, *euanesco.* & ὀπώρα, *autumnus.* vnde φθινόπωρον proprie significat autumnum iam adultum, & vergentem in brunam, quamuis non raro, vt & hic, vsurpetur absolute pro autumno. Prima breuis est.

ἦ] obserua vsum voculæ ἦ, interrogat enim hic, *anno?*

ἁδύ] Dorice pro ἡδύ, *suaue* 21. b.

πλέον] *plus* compar. gradus. pro πλεῖον.

εὔχεαι] secunda persona Ionica, pro εὔχῃ ab εὔχομαι, *opto, precor* εὔχεται, hinc ablato τ, persona secunda εὔχεαι, corripitur diphthongus ob sequentem vocalem. 28. p. l. 1.

ἁνίκα] Dorice, pro ἡνίκα, *quando*, penultima & vltima breues sunt, colligitur id ex accentu; nam si penultima esset longa, tum circumflecteretur, nam longa ante finalem breuem circumflectitur. 32. m. l. 1.

τελείεται] à τελέω, Poetice, τελείω *finio, perficio.* τελέομαι, τελείομαι. *finior, perficior.*

ὅσσα] pro ὅσα, Dorice 32. p. l 1.

μογεῦμες] pro μογοῦμεν, prima pluralis, à μογέω, *laboro.* 30. m. l. 1. 31. m. l. 1.

ἄνδρασι] ὁ ἀνὴρ, vtuntur quoque Latini interdum Datiuo Græco. Catullus Carmin. de nuptiis Pelei & Thetid.

Minyasin linquens Doris celebranda choreis.

Græce

Græce *μινυάσιν*, à Recto *μινυὰς, μινυάδος*. Sic autem docti legunt illum versum Catull. Propert.

Grata domus nymphis humida Thyniasin,

Idem. *Non minor Ausoniis est amor ab Dryasin*,

Idem, *Ah dolor ibat Hylas ibat Hamadryasin*.

Omnes sunt casus Græci pro *Thyniadibus*, *Dryadibus*, *Hamadryadibus*

λιμὸς,] ὁ *fames*, ὁ *λοιμὸς*, *pestis*. Sed hic fœmininum. est *λιμὸς*, more Dorico prima longa est. Calab. lib. 4.

λιμῷ ὕπ' ἀργαλέῳ δεδμημένος ἄγριον ἦτορ.

Domitus immani pectore à sæua fame.

δύσεργον] ὁ καὶ ἡ *δύσεργος*, *difficilis factu*. Hic *δύσεργον*, epithetum hyemis, idem est quod ignauum. Sunt enim hæc epitheta hyemis, quod homines reddat pigros & ignauos. Prima breuis est. 41. m. l. 1.

θαλπόμενοι] part. pass. à *θάλπω*, *foueo*, *permulceo*, *θάλπομαι*, *foueor*, *permulceor*, idemq; significat sequens verbū *θέλγονται*, à *θέλγομαι*, *θέλγω*.

ἀεργίῃ] Dat. Ionicus, pro *ἀεργία*, ἡ *ἀργία*, *otium*, *vacatio*, *ἀεργὸς*, *otiosus*, *ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτή*. *Ignauis semper feriæ*. Prima breuis est; quia habet α priuans, penultima breuis alioquin, hic fit longa. 71. p. l. 1.

εὔαδεν] Aor. 2. à verbo *ἅδω placeo*. Aor. 2. indic. modi, *ἦδον*, Attice *ἕαδον*, & apposito *εὖ*, *εὔαδον*, *εὔαδες*, *εὔαδε*, corripitur illud α iuxta regulam. 38. p. l 1.

ἐπέτραπεν] Aor. 2. ab *ἐπιτρέπω*, ex *ἐπὶ*, & *τρέπω*. Dorice, *τράπω*. Aorist. 2. *ἔτραπον*, media breui. 60. m. l. 1. 120. m. l. 1.

ἀσχολία] Doricum, pro ἡ *σχολή*. *otium*, ἡ *ἀσχολία*, *occupatio*.

κρίνειν] Infinitiuus à *κρίνω*, *iudico*, prima longa. 39. m. l. 1.

ἐπέοικε] præt. med. *ἔοικα*, cum *ἐπὶ*, *ἐπέοικα*. 117. m. l. 1. sumitur hic impersonaliter *οὐκ ἐπέοικε*, *οὐ πρέπει*, *οὐ προσήκει*; *non decet*, *non conuenit*.

θεῖα] pro *θεῖα*, ὁ *θεῖος*, *diuinus*. Videtur autem dialysis Ionica, quasi à *θέειος*.

βροτοῖσι] ὁ *βροτὸς*, *mortalis*, *homo*.

ἱερῷ] ὁ ἱερὸς, *sanctus*. prima longa, Poeticè ἱρός.

ἕνεκα] aduerb. idem quod ἕνεκα, *gratia, causa, Tui causa dicam*. media longa est.

ἐξερέω] præsens vel futurum dissolutum, quasi ab ἔρω, fut. ἐρῶ, & dialysi, ἐρέω, cum ἐξ, ἐξερέω.

πέλεν] tertia persona imperfect. à πέλω, *sum*, ἔπελον, ἔπελες, ἔπελε, ablato augmento πέλε, addito ν, πέλεν.

ἅδιον] pro ἥδιον, *suauius*. compar. gradus. gen. neut. media breuis est. 71. m. l. 1.

ἦμεν] Infin. Doricus pro εἶναι, *esse* 223. m. l. 1.

τόκα] pro τότε, *tunc*. 31. m. l. 1. corripitur hic α factum ex ε. 34. m. l. 1.

ἅλιος] pro ἥλιος, *Sol*.

ὀπτῇ] tertia persona Dorica ab ὀπτάω, *asso, torreo*. ὀπτάεις, ὀπτᾷς, ὀπτάει, ὀπτᾷ & Dorice ὀπτῇ. 175 m. l. 1.

ὥρια] ὥριος, *tempestiuus, maturus*. τὰ ὥρια *fructus*. sic dicti, quod suo quiq; tempore producantur, & maturescant. ὡρίως, *tempestiue mature*.

οὖλον] ὁ οὖλος, *perniciosus, noxius*. idem quod ὀλόμενος.

φοβεῦμαι] pro φοβοῦμαι, Dorice, *timeo*.

τριπόθατον] ὁ καὶ ἡ τριπόθητος, *ter desiderabilis*, prima breuis est 42. p. l. 1. ποθητὸς, τριπόθητος. *desiderabilis, expetendus*, à ποθέω, *desidero, expeto*.

λυκάβαντι] Dat. sing. quintæ simpl. ὁ λυκάβας, *annus*. Poetis hoc vocabulum frequens est. ὅλῳ λυκάβαντι, *toto anno*.

ἄμμε] Accus. dual. Æolicus, pro νὼ seu νῶϊ, ab ἐγώ, 93. p. l. 1. Hic tamen, vt & alias sæpe apud Poetas vsurpatur pro accusatiuo plurali, ἡμᾶς, *nos*.

βαρύνει] à βαρύνω, *grauo* Prima breuis est, media longa. 58 p. l. 1.

χ' ἁ νύξ] pro καὶ ἡ νὺξ *Et nox*.

ἴσα] hic corripitur prima, ὁ ἴσος, alias producitur ὁ ἶσος, *æqualis* Sunt enim Græci in quantitate syllabarum non quidem exleges; sed tamen valde liberi; cuius libertatis vnicum hic exemplum dabo. Primam vocis τιμὴ pro-

producunt Poetæ tanquam natura longam. At Bion corripuit his versibus.

Μηδὲ λίπης ἀγέραστον, ἐπεὶ καὶ Φοῖβος ἀείδειν
Μισθὸν ἔδωκε. Τιμὰ δὲ τὰ πράγματα κρέσσονα ποιεῖ.
Ne relinquas me sine munere. nam & Apollo pro cantu
Mercedem dedit, honor vero res meliores facit.

ὁμοῖος] Poetice, pro ὅμοιος, *similis*.

ἀὼς] Dorice, ἡ ἠὼς quartæ contractorum.

Et hæc breuiter in hoc Idyllium elegantissimum Bionis. Reliqua studiosus adolescens facile proprio Marte intelliget.

* * *

Laus Deo, Virginiq; Matri Mariæ.



N. T Æνιας τυ Æνιu το Æνια τὸν Ænιαν
ο Ænια. Dualv. N et A: το Ænια: G et D: τοῖν
Æνιαιν: o.
P. N: ι Æνια Των Æνιων Τις Ænιαις Τυς Ænιας
ο Ænια.





